M. PHILIPPO-LVDWIGI ELICH,

Ex Marpurgo Hessorum,

DÆMONOMAGIA;

Siue

LIBELLVS ΕΡΩΤΗ-ΜΑΤΙΚΌΣ,

De

DÆMONIS CACURGIA, CACOMAGORUM ET LAMIARUM Energiâ.

Dæmonium non habeo.



FRANCOFORTI

Prelo Richteriano, Impensâ verò CONRADI NEBENII.

M. DC. VII.



Ingenuo & Nobili, tàm suapte, quàm patria & auita Virtute, Iuueni,

DN. JO. VALENTINO FENCKENSES-SER, WORMATIENSI, AMICO

& fratri suo sinceritate purissimi amoris colendo,

M. PHILIPPVS LVDVVIGVS ELICH, qui & Bierus, ex Marpurgo Hessorum,

S. D. P.

GESTIO *ingenue adolescens, supra modum gestio te alloqui, hominem quo mihi amicior viuit nemo, & omnium quos suo orbe sphæricus complectitur orbis mihi carißimum affari gestio, qui cū mihi olim magnus vsus, familiaritas optima, qui cum mihi dulce sæpe colloquium, sæpiusq; cupidè ac quasi de industria ob mirificam suauitatem protractum, gaudentes adeò & latantes amantesq; inter nos, ob Genii & ingenii similitudinem multam, honestum honestarum literarum & communium studiorum amorem iucundißimum, qui arctius sæpe hominum solet copula-*

 re ani-

re animos, quàm vlla cognationis aut affinitatis propinquitas.

Hic est, qui te à pueritia ferè mihi reddit carissimum, ac penitus iis vinculis, ea beneuolentia conglutinauit, vt nec Oresti Pyladem, nec Pirithoo Theseum, nec Patroclo Achillem, nec Damoni Pythiam, nec Euríalo Nisum coniunctiorem fuisse crediderim.

Hisce vinculis, hac tua consuetudine, hac tua familiaritate, amicitia sancta & sincera, hisce deniq; dulcissimis tuis eloquiis ex mellifluo tuo ore profluentibus, (incredibilis enim est in te ἡδυέπεια, nihil in labris tuis, quod non merum mel, merum lac, merum vinum redoleat, & Mercuriale quid referat, profectò in labiis tuis Pitho illa, quam Latini Suadelam nominant, sessitare videtur) tuisq; etiam alloquiis ex niueo tuo pectore & purissimo corde profectis, quibus me nonnunquam à Genio meo excarnificatum & exagitatum fortiter recreasti, subleuasti, roborasti, quæ vt dulcia ita mihi verè consolationi & leuamini erant, adeò vt iis suffultus in tuo ac meo acquieuerim Genio ex animo; hisce, inquam, nihil vnquam in omni vita mihi contigit gratius atq; carius, nihil suauius, dispeream! si quid mellitius.

Talem Orestem, suauitate fratrem, talem prædulcissimum consortem affari an nõ suaue? alloqui, an non dulce? secum reputet alius frutex, aut stipes qui non sit. Annon, optime Frater, res lætitia plena est, quæ animum exuberanti gaudio refarciat meum, mutuæ beneuolentiæ & fidei exemplum sancire, & per commercium publicarum literarum me tibi ostendere? quî cum dulcissimè quondam in studiis vixi, & in literaturæ non contemnendæ cognitione laboraui. Ex quo, aperte & simpli-

simpliciter loquor pro mea natura, factum, vt tota tua conuersatio longè suauissima mihi fuerit, & tolerabilis valde, & vt suauissima, ita absentia tristis & discidium intolerabile nimis.

Hæc dum cogito, cogito autem non sine graui animi mei vulnere sæpe, non possum non facere, quin comploꝛem spiritum corpori abesse. O triste seculum! ô Fortuna! exclamo cum Plauto, vt nunquam perpetuò es bona! Et cum Petrarcha suspirans exclamo; ô quam difficile quæritur omnis vitæ delectatio, quàm facile perditur! Ast quid clamo, quid loquor? cũ sciam, me nequicquam loqui, & quod leue tamen est me perdere verba, & cui queror? me cum non lateat, nullam esse tam pertinax atq; indissolubile amicorum contubernium, quod aliquando alio istuc, alio illuc proficiscenti non separetur: idq; hodie mihi cogitandum maximè, tempore heu! vix alloquio, nedum amicitiæ satis patente, nouercante in me, & inuidente amicitiæ nostræ studiorumq; communioni Fortuna, quo conspectu tuo grato priuor, tuoque dulci careo eloquio, & veras viuasq; voces audire nequeo, non sine mea quidem molestia, fateor. Ex qua ipsa tamen voluptatem iam nunc capio maximam, te mihi fratre cariorem literis cum saluto veri amici notas habentibus. Mente, me Christe, concipi non potest, nec verbis ego exequi valeo, vt tabescenti ægroq; animo, curarumq; vndanti fluctib. (tua mihi curæ & cordi sunt) lenimen occurrat maximum, mirum! quantum gaudii, spei, animi accedat, mirum! quantum curis leuamen adferat alloqui hominem, quem alloqui ardeo, hominem qui cum olim omnia vt mecum liberè loqui poteram, ad quem cogitatus motusq; animi, quos primos vocant, re-

ferebam, cui omnes iuxta perfectæ legem amicitiæ pectoris mei sinectus aperiebam, cum quo gaudium & dolorem partiri ex æquo poteram, qui dolorum maximam meorum partem ebibebat, qui acerbitatis meæ virus, vtcunque pestilens, inexhausta suauiloquentia & dulcissimo alloquio repellebat, & maiorum omnium impetus molliebat, facundo tibicini non dissimilis, qui tibiæ modulis viperarum morsibus medetur. Coram te videre & confabulari iucundissimum! O vtinam vnâ esse possemus, & spiritum exhilarare nostrum, quos locorum distantia seiungit, ac fortunæ feruens rabies distrahit ac dissecat, aureum, medius fidius, illum ramum quem nuper manibus tenebam facile extruderem.

Quandoquidem vero tuo nunc, fatis ita agitantibus, consortio, colloquio, alloquio, præsentiaque frui vt volo, vt opto, non conceditur, intercurrat aliquis necesse est Mercurius qui mutuæ beneuolentiæ & amoris, studiorumque, nexum millies amplius fortius atque fortius complicet atque constringat, & animos in liberalibus studiis, in pietate, virtute, fide, sinceritate correspondentes Christi glutino, vt ait Hieronymus, agglutinet ac copulet, ne de mutua inter nos beneuolentia, quæ in vtriusque animi penetralibus adamantina sede recondita est, temporũ locorumque disiunctio, quanta quanta etiam fuerit, quicq̃ deterat & excutiat, aut discidiũ inter nos dissidiũ faciat. Faxit igitur propitium aliquod & Magnũ Numen, vt hæc rata sint, cui ex Sapientum sententia hoc ipso die suffumigium do bonum, redolens ac pretiosum, quod ex descriptione Hermetis potentissimum esse persuasum habeo, ex septem aromatibus, iuxta septem Planetarum vires conflatum, in hoc, vt pestes omnes & exu-

ca cate-

cæ cæteraq; pestilentißimæ bestiolæ saluberrimum bonæ amicitiæ succum in animis hominum depascentes abigantur & depellantur procul ab agris nostris; intellige Stoicos illos ἀστόργους & tetricos Dæmonculos, qui nostros ẽt ignitis suis telis animos cõfigere & exurere sæpe conati sunt, & amicos nos esse noluerunt. Contra hos si θυμιάματα non valitura sint, curam & operam dabo, vt religioso aliquo exorcismo vel nouo & Magico aliquo sacrificio exterminare vel placare eos queam, id mihi si frustra erit, barbaris Deorum nominibus Cabalisticisq; pentaculis contra illos me præmuniam; quod & tibi, carißime frater, pro amuleto destinabo. Sed amemus inter nos, MI VALENTINE, *eò constantius, vt vrantur & ringantur isti peßimi, nobis qui inuident, & rumpantur ilia Dæmoni, quem cum omni eius pompa explodamus. Nosti ô adolescens, & in comperto est omnibus, quibus modò sanum est sinciput, Diabolum omnis sinceræ amicitiæ osorem esse acerrimum, eumque nihil iniquius ferre, quàm vincula Christi ex glutino conflata, hoc est, animos in puro amore, pietate, sinceritate coniunctos. Rogandus est itaq; etiam atq; etiam Deus noster προξενητής, animorum conciliator, & bonarum amicitiarum protector, vt contra osoris tumultus & impetus, quibus in hoc mortalitatis pelago animos impetere ac infringere conatur, nos tueri, ac animos nostros infractos seruare, ne in virtute qui adunati & sanctæ amicitiæ visco combinati soluantur & liquescant, dignetur.*

Verum enimuero ne te hisce onerem, ne te obruam, ne te audiendi & me loquendi tædio afficiam, & fortè enecem, vel animum euerberem tuum, alisuc picas meas

tibi misisse videar, respirandi spatium dabo, & breuiora eloquii mei verba formabo, calamum detruncabo, quod tempori & loco debitum est; Non dicam fastidio eorum, quibus omnia sunt prolixa; Nisi quæ hebes ac insolens maledicæ linguæ forceps abscindat, nunc multiplicantur & crescunt. Nihil enim in amicitia loquacius amicorum colloquio & sermone, quod iam institui cum amico, quem iam habeo ad te, quo vt nihil est fidelius, nihil sincerius, ita est mihi te neq; carius quicquam, neq; prius, vt sic plane sim affectus, nolle me dulce hoc bonū, animum dico tuum tam in me propensum, tam candidum, tam modestum, tam ardentem, tam amicum cum vniuersis Arabum opibus commutare, hinc fit, vt multus sim in elogiis, & auarus cædere sermones minimè adulatorios.

Sine igitur quæso me meo indulgere Genio, vel amori vel ingenio, & permittat mihi peregrinus quisq; pro candore suo, vt meo obsequar pudori, aut si mauult pio, iusto, grato, & amico furori, amicos effusius & pertinacius amare, quàm prædicare; aut si quando occasio ita ferat, malim apud alios, quàm coram. Illud tempus optatum magis quàm speratum cum nunc incidat, non possum non laudare, prædicare, commendare, & augere te amicum meum, non Maiorum solùm imaginibus clarum, sed & propriis iisq; eximiis animi ac corporis dotibus quasi clariorem, adolescentem pietate, eruditione, singulariq; virtutum morumq; elegantia nitidissimum, raraq; facundia præditum: Hæc οἰκεῖα sunt tua ἀγαθά.

Hominem tam diuinum, tam generosum, tam gratiosum quis non amaret, deamaret? quis non coleret,

suspi-

suspiceret? quis non admiraretur, veneraretur? O te felicem! Næ felix es. Natura optima mater & architectatrix te impendiò nimis adamauit, in teipsa vnum multa virtutum, tanquam in arculam affabrè factam & perpolitam, copiosè congessit, ac omnibus bonis sic locupletauit, vt vel ipsam Pandoram præcas, ipsamque Fortunam fortunis tuis præcurras. Animo etiam tuo corpus gratiosum confinxit, ne scilicet non haberet pulcherrimum domicilium animus pulcherrimus, instrumentum congruum subministrauit, imagines animi in gratioso corpore indicans, & egregiam virtutem ex oculis & cute eminere & elucere sinens, qua nihil amabilius, nihil pulchrius, nihil oppidò quod magis cogat, attrahat atque alliciat, nihil quod magis aliorum animos accendat & impleat; Cuius tanta vis est, Philtrum in se habens efficacissimum, teste Proclo in lib. de Anim. & Dæmone, vt ipsos Deos & hominum curatores Dæmones copulet, Dæmonibus homines coniungat. Ita ô felicissime, ô Naturæ decus eximium! egregiis animi tui dotibus & heroicis virtutibus demerentibus, tuis insuper in me collatis beneficiis, pro tuo deniq; erga me studio singulari cordi & curæ, mihi huic officio obnoxio fuit, est & erit illis illustrandis pro mea virili inseruire, vt non immeritò hodiè præco tuarum virtutum existam & exeam, licet non adeò concinnus & altus, attamen nec adeo sterilis ac submissus. Tu me, quod abundè mihi sufficiet, veluti honoris ac nominis tui amantissimum habe, ex puritate fidei relatorem. Nam dignum te maximè esse maximo præconio, & huic me obnoxium esse officio iterum profiteor. Illud verò Diotimæ interim dum animi mei oculis Naturæ exemplar optimum in te in-

trospicio attentius, ego, quo fortasse non alius altius in te oculos defixit, vehementer obseruo, vt qui præcipit, post occurrentem sensibus ignem nos transferamus ad splendorem virtutibus, actionibus, officiis, scientiis inditum, ibiq; oculum animi τῷ καλῷ prouocatum figamus & vehementer exerceamus, & ad intellectum respiciamus, vbi præcipuum diuinumq; καλὸν dominatur. Quid enim in nobis est virtute, pietate, eruditione atq; scientia pulchrius? Nihil, nihil sanctius, nihil Deiformius, nihil cœlestius!

Ecquis igitur te meum decus virtutibus plenum! non coleret, non suspiceret, honestaret? quem Superi honestarunt, cui benè consuluerunt omnes, cui cœlestes ignes prosperrimi affulserunt, cui Iupiter, Sol, Venus, & Luna amici, cui totum cœlum arrisit effusissimè, cui deniq; cœlestes felicem Genium aßignarunt, qui te nascentem suscepit, tibi nascenti præfuit, nec dum à latere tuo discedit, qui te singulari sua præsentia & felici adsistentia omnibus diebus vitæ tuæ felicitauit, roborauit, & mirificè adiuuit. Nonne enim in patria in tenella & flexibili adhuc ætate, quæ à primo spiritu rerum excellentium semper admiratrix fuit, crepundia virtutum heroicarum & primordia conatuum egregiorum ostendisti? animi tui, id est, preciosißimi thesauri gemmas in propatulo posuisti, vt virtus tibi innata, in te quasi candelabro imposita mox eluxerit, quod vix dum puer, nihil tamen puerile habens, quàm nihil enim in te plumbeum, nihil agreste, nihil ingenerosum, nulli cesseris æqualium, sed omnes deuiceris acri cupiditate & felici dexteritate discendi, etiam natu multò grandiores antecesseris, quorum Genii inclytum tuum Genium

nium reformidabant, & deficiebant non aliter quàm Augusti Genio M. Antonii Genio colludente; hic defectum patiebatur, & quasi à fortiore & præstantiore imbecillus reddebatur, recensente ex Plutarcho, Agrippa lib. 3. Occult. Philosoph. cap. 20. ita vt puerulus inter pueros non posteriores in discendo, obtemperando tuleris; tum paternæ auitæq; virtutis simulachrum Naturam in te expreßisse pulcherrimum cognoscebant omnes. Rursum quàm modestus, quàm sedulus fueris, quàm pius, reuerens & obseruans in Præceptores, quàm non morosus in Commilitones, mirum est! Postquam ex schola domestica & patria satis celebri, quam à teneris presseras, Genii tui beneficentia subleuatus, & alis ingenii tui subuectus, ad subsellia nostra in puluere scholastico posita, Marpurgi q̃ sunt, euolaras, iis inhærere, in iis te exercere, & Mercurialem ætatem agere amabas, quid? quod in iis residere, & quasi nidulum suum ponere gestiret tuus ille vitæ Comes, & fidus germanus cœlitus tibi adiunctus, qui sæpius in aliis propter loci mutationem pati & tristari solet, imò lætior hic & tibi obsequentior videbatur.

Propterea quod is locus in efformandis bene nati hominis moribus & excolendo optimo animo apprimè commodus, ac omnibus adolescentum studiis maximè idoneus videretur. Habebat enim (& iam habet) informatores optimos, quorum famæ aura aures percutiebat exterorum ob singularem in docendo dexteritatem & felicitatem summam Præ aliis Dn. IO. FERINARIUM *recenseam, (qui nunc est* ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ, *libenter loquor cum Paul. Eph 1. v. 3.) virũ sincera animi pietate colẽdum, herũ & præcept. meum,*

Atlan-

Atlantem Pædagogii fortißimum, signaculo DEI *insignitum & ornatum signo* PHAHAD, *quod ipse tanquam characterem terrificum, quo omnes sibi subditos mirè terrebat, à diuina Idea impressum habebat. Sed quid multa? Verbis exprimi non potest, qua industria, aßiduitate, dexteritate, fidelitate denique in erudiendis & expoliendis teneris animis, annos ferè XXVI. laborarit summa cum laude, quod scholæ maximum decus & emolumentum adferebat. O seculum felix! ò felicem animam! quæ huius viri sanctißimi balsamo imbuta est. Hæc, ô Deo mihique carißime iuuenis, hæc propria tua felicitas est, quod non exoletus, sed tenellus adhuc & tractabilis in eum incideris virum, qui mentis tuæ tabellam salutaribus tingere ac pingere præceptis & puris opinionibus imbuere potuit. Potuit quia doctißimus, voluit quia optimus, effecit quia diligentißimus.*

Ad hunc venerandum nostrum Præceptorem, cum quasi paucorum annorum puer à tuo MVNDOALDO *esses adductus, bonis auspiciis, bona spe virum illicò implesti, & mire ac fortiter accendisti. Ipsi enim tanquam Socrati aut Platoni (ingeniorum cum esset perspector sagacißimus, & Physiognomon admirabilis) ex extimis, quæ in te conspiciebantur signis, continuò obuiam erat, te, vt cum Sapientiæ Præceptore dicam, animam sortitum esse bonam, prorsus generosam & verè nobilem, id est, multis aliis meliorem, & vt Græci dicunt te εὐφυῆ, bene feliciter natum esse.* Εὐφυΐαν *enim & optimam indolem ex fronte & vultu eminentem, elucentem & apparentem perspiciebat, quæ vt Adamantius ait in ipso oris silentio loquitur, quæ (vt est in adagione,* Elucet egregia virtus,*) licet quandoque dißimuletur,*

muletur, tamen semper eminet & in ipso habitu oris perspicitur, veram nobilitatem testatur, & mores nobiles indicat. Hinc dicebat Cleanthes Philosophus secundum Zenonem ex specie mores & animi virtutes dignosci posse; Et Barbari hosce solos magnorum operum capaces putabant, quos Deus & Natura eximia specie donarat, in quo omnes Physiognomicæ rei Scriptores consentiunt. Hoc optimè norunt Pythagoræi, quibus morem tradit fuisse Proclus in libr. de Anim. & Dæm. venientes ad ipsos discendi gratia non prius admisisse, quàm figuram, incessum & totius corporis motum diligentissimè perspexissent, planè è Naturæ signis num ad disciplinam apti nec ne forent, cognoscentes. Socrates itidē Philosophor. non sapientissimus modò, sed & incorruptissimus, qui honesta indole & liberali facie præditi videbantur, ad Philosophiæ studia rapiebat. Similiter te Socrates noster ad se raptabat, & non aliter quam Socrates olim suum Alcibiadem, ad supremum Reipub. gradum peruenturum, ex specie & optima corporis modulatione prædixerat, præsagiebat, te ad præclaram eruditionem ingenii tui viribus, & in lucem & gloriam venturum: Præsagii verba hæc erant: Si vixerit adolescens hic, vt DEI virtute diu victurus est, ALIQVID MAGNI ERIT.

Illud insuper maximum est, & maximè referendum, quod te tota Diuinitas quàm serenissimè respexit, adeò vt tibi in vita nunquam defuerit vllum bonum, quo perpetuò, si frui tibi licebit (vt liceat precor) Deorum ipsorum vitam te adeptum iurabo. Nunquam defuerunt tibi animi motus diuino afflatu excitati, clarum ingenii tui lumen, quod hereditarium libenter dicam,

cam, Genius tuus nunquam obfuscari passus est. His accessit Dei fauor singularis, qui & industriæ ac diligentiæ stimulos tibi addidit, atq; ex his notitiam rerum variarum earumq; Politicarum atque excellentium pro ætate mirificam, & felicitatem in hisce incredibilem: Ipse nempe non alius est, qui tuis Genitoribus gratia sua diuina affulsit, eos omnibus seculis gloriosos & felices effecit, tibi gratiam impertit, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, ipse est, cui soli conuenit, quod ludens pro suis longè alias traduxit Magister artis ingeniiq; largitor, & sicut tibi ad rerum variarum perceptionem intellectus, sic ad expreßionem lingua suppetit, cuius defectus magna sæpè denigrauit ingenia, & minora dignitatum ostendit fastigia.

His acceßionem fecere non minimam sanctißimi Præceptores doctrinæ virtutisq; Magistri egregii, tibi qui in omni studiorum curriculo feliciter obtigere, vt non verear asseuerare, neque Achilli Phœnicem, neque Dionysio Platonem, neque Alcibiadi Socratem, neque Alexandro Aristotelem, neque Neroni Senecam pari felicitate obuenisse, illi cœlestia tua dona de cœlo, quæ tecum contuleras, vehementer auxerunt, & multò illustrius illustrarunt, ac quæ augusta erant, augustißima reddiderunt. Hi auriculis tuis præclara illa Sapientum dogmata instillarunt, mentis tuæ recentem testulam, cuius odorem etiam in omnem vsq; vitam est reddituras, Philosophiæ balsamo imbuerunt, neq; lingulam istam tuam naturâ promptam, expeditam & armatam siuerunt vulgari stribiligine pollui, sed purißimo Musarum irrogarunt succo, vt Veneres omnes, omnes Charites de loquentis ore scatere mihi videantur, vt tecum, peream!

viuere,

viuere, fabulari, & sermones miscere, nihil aliud sit, quàm in Parnaßi nemoribus inambulare. Ecquis enim non quasi præsens Mineruæ numen in te agnoscit, te si audit loquentem, quod tum vel maximè in omnium cognitionem veniebat, cum ante paucos annos in HAIDELBERGENSIUM Academia primum ingenii tui specimen, idque præclarum ac felix ederes, in Politicis verè politicè & pub. disputando, ad pedes IOHANNIS CALVINI I. V. D. clarißimi, Patroni mei summò colendi, cuius propensiori in me animo, quo me amplexus est, cum Haidelbergæ viuerem, multùm debeo; haud dici potest, qua eruditione, quo sermone, quo acumine auditores delectaueris: In primis Barones & nobiles, quorum multi ad te confluxerant, mirè exhilarabas, qui te cum maximo applausu, & summa delectatione disputantem audiebant.

Postea verò anno vix vno elapso, cum in HELMSTADIENSIUM Academia in Iure disputares, omnia illustriora reddebas, in quo te adhuc hodiè in IENENSIUM Synagogis egregiè exerces, & gnauiter operam nauas, cum intelligas, sine legum & Iuris scientia cæcam & fallacem esse omnium experientiam. Et ô vtinam perfectè adsequereris, quod in MARPURGENSI, HAIDELBERGENSI, HELMSTADIENSI, IENENSI, cum labore, sumptu, studio secutus es; quin assequaris non est quod dubitem, quin potiùs intrepidè mihi polliceor, futurum vt omnia abundè poßideas, cum propitium tibi Numen adhuc adfulgeat, Magister Spirituum te lætificet, & secunda sui fauoris

auræ

ausa tibi adspiret; Dein quod in celeberrima viuas iam num Academia, omni studiorum genere florente; tum quod tantus sit in te studiorum amor, quantus vix in homine, vt horum causa neq; labori, neq; sumptui parcas vlli; & eo ingenio natus sis, & is sic tibi vsus sit, vt nisi in literis viuas, viuere haud possis. Quid in hac igitur tua ætate maturiore & firmiore de te dubitandum? cum à teneris, vt aiunt, vnguiculis magnam tuis vberemq; materiem tibi sibique gratulandi sperandiq;, imò gaudendi, & post tuos mihi tuo vberrimam tribuisti, qui, emoriar ni ex animo loquar, te pluris facio, quam cæteros omnes, qui in te amando, colendo, tibiq; obsecundando nulli vnquam cessurus sum, sperans tuam perpetuam felicitatem, gloriam ac salutem, qua nihil erit mihi antiquius, nihil prius: Nihil omnino dubitandum de te, qui, vt ait Naso, es

Iam iuuenis, iam vir, iam te formosior ipse.

Cum ea tua forma sit, quam nec ætas imminuet, nec morbus eripiet, nec mors ipsa; Temet tanquam ipse tibi Mercurius Moly quodam efficacissimo, id est, optimis rationibus & sinceris cogitationibus contra viperarum sibila & Bubonum ferales cantus, tanquam contra Circes pocula præmunire didicisti, nouisti. Iam de te, Excellentiss. ms iuuenum, non tantum spero, sed spero simul & gaudeo. Est enim præsentis boni nomen gaudium, spes futuri. Ecce iam te in florentulo tuo vere magnis viris parem teneo, parem maximis mox in autumno sc. tenebo, age modò, perge iter adsumptum, excita te ipsum, adde geminum calcar ingenio, hinc honoris, hinc pudoris, mane cœpisti, noli sub meridiem, vt pigrè solent viatores, torpere, pigritari: vt pergis, vt non torpes,

pes,

pes, vt non pigritaris, ad tuos tandem vt redeas, velut auidus negotiator bonarum literarum mercibus locupletissimus.

Ecce iam te ante oculos cum habeo, & te quasi in pariete depictum cum video, è paterna auitaq; animi sublimitate generositatem quandam mediam, & è matris tuæ pietate temperatam intueor. Non fallax, non mendax, non pollutum, non peregrinum, non vetustum virtutum omnium (nisi me Deus fallat εὐδαίμων) exemplar idoneum contemplor. Generosum ac diuinum tuum patrem, virum singularem (placet Cabalisticè loqui) signaculo DEI HÆSED *præditum, cuius quàm Reipub. vtilis vita fuisset, heu! præmatura atque damnosissima mors declarauit, quæ non tuam solùm, non meam, non nostram modò, sed VVormatiæ, sed Rheni totius spem fefellit, apprimè repræsentas & insigniter exprimis. Auum tuum generosissimum, totum πολιτικώτατον ingenio acerrimo & dexterrimo virum, qui Illustribus ac Potentibus Heroibus in consilio adfuit, magna cum sua laude & admiratione multorum, in imagine præ te fers, eiusq; vestigiis insistis; quibus nunc hodie laboribus praeest, & honoribus quidem amplissimis perfungitur* IACOBVS STRIPPEL, *affinis tuus, vir non minori sapientia iudiciique acrimonia præditus, qui suo etiam merito ad id dignitatis fastigium, Diis hominibusque applaudentibus, prouectus est. Proauum tuum, diuæ memoriæ, Cancellarium olim Palatinum, qui dum vixit à sanctioribus secretioribusque consiliis Potentissimi Principis fuit, eorumque quasi caput extitit, studio & de industria prætereo, ne gloriæ & nomini ipsius officium, cuius tamen incomparabiles*

virtutes & ingenii dotes tantum non diuinas, vt perpetuo cultu admiror, ita hic & vbique digno præconio commendatas volo. Hos dilucidis animi tui oculis contemplare, vt contemplaris, horum egregia ac præclara facinora mirificosque actus penitius mente volue atque reuolue tua, ad illorum gloriam ceu in nitidissimo speculo te contuere, vt contueris, vt mente reuoluis. Illi felices, illi generosi, illi Nobiles & præeminentes fuerunt, illi Deo hominibusque cari; hos vt tempore, vt sanguine sic animo ac moribus sequere, vt strenuè sequeris, atque adeò feliciter, vt in firma spe habeam, & præter scrupulum profitear, te ne latum quidem culmum exorbitaturum, aut de recta virtutum paternarum semita vnquam discessurum, quo minus sorti à Deo credita, animique tui dotibus parem te reddas, parem denique imaginibus Maiorum.

Proin futurum confido constanter, Generi, Patriæ, Amicis, tuisque omnibus per literas & literis inuicem per tuam fortunam & ἐυδαιμονίαν*, ingens te tum decus, tum præsidium allaturum, dum sæpe multumque apud te cogitas, quàm absurdum sit & indignum flagitium, in venusto corpore mentem inuenustam & incultam ferre, ac sub cute nitida, carie situque squalentem animum habere; quo monstro non aliud monstrosius putandum, quàm in delicato scriniolo,* ἄνθρακας, *vt Græci dicunt,* θησαυρὸν, *& si magis Cynicè loquendum, in gemmata pyxidula cœnum, aut si quid cœno spurcius.*

Sed quid ago? iamdudum epistolarem modum excessi, & filum epistolare iusto longius protraxi. Epistolam scribere institueram, ea autem crescit in volumen, adeò

adeò me fallit tempus iucundissimam iucundissimi amici memoriam cum animo meo recensentē, & quasi cum ipso vt altero me iucundissimè confabulantem. Non loquendo satior, sed accendor, nec desinere quidem scio, adeò dulce mihi te prædicare, te præfari: improuisæ mihi fugiunt horæ, non loquenti mihi sufficit vllum tempus, quod suffuratur & præripit, nescio quis! iam iam aduolans, aures meas clam vellicans, paulò ante supra modum tinnientes, iis SATIS EST, SATIS EST, *occinens, horarium ad quod scribo, mihi commonstrans, is ipse est, qui hactenus nescio quomodo huic stylo laxauit habenas & amplustre adhibuit, & vela ventis commisit, hic tandem impingere ac consistere iubet. Et dum filum abrumpere cogito, in ipsa cogitatione mihi ad mentem venit, & ad pectus aduolat meum, verissima Phauorini sententia: Turpe est, qui inquit, aliquem vituperare, turpius verò aliquem frigidè laudare. Quid misellus ego homulus & balbutiens virtutes tuas eximias & felicitates singulares & admirabiles extollere conor? rem profectò viribus meis imparem suscipio; Nam*

οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι δέκα τε στόματ' εἶεν,
φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

Vt Poeta inquit; vix præstare possem, vix sufficerem. Et fateor sanè, multa me dixisse, & pauca, plura restant: Subuereor tamen, ne de forma nimis multa, quanquam ego nequaquam corporis dotes, aut ingenii felicitatem, aut Medioximi tui præfecturam sic effero, vt pueriliter subblandiri aut adulari, aut præter meritum magnificentius vt Aretalogus laudare velim, quæ ars procul à moribus est meis.

Nec tibi, cariſsime amice, nec aliis mea blandiri videatur oratio. NON LAVDO TE, SVAVISSIME VALENTINE, *quin magis te ipſum tibi tanquam in ſpeculo Socratico commonſtro, vt temet diſcas, non autem vt etiam ames ſimulque pereas, quemadmodum de Narciſſo fabulantur Poëtæ; ſed vt etiam atque etiam intelligas, quàm magnum nomen ſis Deo felicitatis tuæ autori, & quod Naturæ debitor ſis, non aliter quàm quicumque viuit è populo; reputes tecum etiam ex quo aureo genere prodeas, quis ſis, quibus rebus ſis natus, & quo tibi ſit eluctandum, ne cum totum cœlum tibi arriſerit, tu tibi parum proſper fuiſſe videaris. Nec laudari quidem te putabis, vbi quisquam te generoſum aut bene ingeniatum prædicat; ſed admoneri bene vt viuas. Bene autem viuere non poteſt, qui ad quod vnum & ſummum & maximum natus eſt negligit; tu tuum haud negliges, ſed* αἰὲν ἀριστεύειν ϗ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων *ſummo niſu intendes. Nondũ igitur, ô laudabilis adoleſcens & æternis præconiis digniſsime, nondum te laudaui, Dei modo gratioſam benignitatem retuli imputandam, niſi ad fœnus accommodaris; ac ſingularem Deorum cœleſtium amorem, & effuſam in te beneuolentiam. Fortunæ etiam miram raramque indulgentiam celebraui, quorum beneficentiæ ego & tu quicquid ſumus aut poſſumus, id omne acceptum referamus, oportet.*

Dicta verò ſint omnia citra gnatoniſmum, longè abſit à boni viri auribus, & à tuarum aurium modeſtia turpis adulationis nota. Aliena enim comminiſci & peregrina aſsuere fœdũ eſſet, & impii hiſtrionis opus. Hoc exactè cum intelligam, & probè probèque ſciam, quid

animo

animo Philosophico dignum sit, non est quod anxiè notam deprecer. Tum quia mores tui in aprico coruscent, & lux tua atque virtus coram hominibus luceat in gloriam patris cœlestis. Nullo modo satis tibi esse putas, quod innumeras animi dotes præclarasque virtutes intus quasi in ergastulo quodam conclusas & constrictas teneas, nisi eas etiam in lucem proferas & exerceas, in eorum vtilitatem & fructum, qui tecum viuunt & versantur. Virtutis enim laus omnis in actione consistit. Hac omnium ora in te conuertis, omnes in tui admirationem pertrahis, omnium beneuolentiam, omnium studia demereris. Elogium hoc tale tantumque est, vt de adolescente nullum maius neque splendidius prædicari possit. O he! vt loquax sum, nec Genii importunitatem moror, nec maledicorum atque Diabolorum reformido iudicia; sciam licet nihil non obnoxium dici posse maleuolentissimorum vipereæ linguæ, malorumque calumniæ, adeò etiam vt nihil tam circumspectè dicatur vnquam, quod non rapidissimo calumniandi ingenio ab improbis Diabolis rapiatur in aliquam calumniam. Vos ô improbi Sycophantæ, & fœdissimi Diaboli, vos ô impudentes obtrectatores adeste! adeste! vobis loquor, quod si plus iustò importunus & vehementior vobis fuisse videar, κολοιὸς etiam ἐν τοῖς τοῦ φίλου ἐλογείοις, & Architæ crepitaculum dici merear, adscribite, quæso, meæ feruenti in amicum deuotioni; virus si quod concipietis ipsi imbibite vsque ad nauseam, in me non euomite, ne ego lacessitus, & vos commota atra bile perfundam, & fermento aspergam meo. Et si præter naturam epistolarem scripserim, ignoscite, ipsemet noui quod vela ventis dederim, & fecerim vt solent perple-

xitate nimia laborantes, & qui affectuum plus quàm virium habent; quod si non satis comptè & tersè dixisse visus fuero, parcite animo minus impræsentiarum cogitanti, & limatiorem stylum expectate; ego iuuenis veniam à vobis expecto: cogitate quis, cui, & quid loquar. forsan qualiter non curabitis.

Cæterùm hæc, ô fidissime pectoris mei Comes, hæc commemorare & accensere valde mihi iocundum est, tibi quoque maximopere gratum esse iudico, qui intelligas, te mihi nondum excidisse, te quem in medullas meas vsque demisi, ex quibus nunquam efflues, & certò intelligas, distantiam temporum & locorum ne tantillum beneuolentiæ in te meæ detriuisse, quæ in præcordiis meis viuit, & indies crescit atque crescit, florescitque magis atque magis.

Postremum est, quod dicturus sum, cur te, MI VALENTINE, hoc tempore & loco, in vestibulo mearum chartarum alloqui amauerim. Nulla alia, hercle, ratio est, nisi quæ prolixè iam exposita, videlicet egregia generosi tui animi affectio, & singularis tua in me dulcisque beneuolentia, qua me eo tempore, quo vnà in studiis viximus, prosequutus es. Et hæc causa est, non alia vlla, quæ me tuo NOMINI & NUMINI hasce meas pagellas & animi mei delitias licet crudas & immaturas in iuuentute infirmiore à me decerptas, de DÆMONOMAGIA, vt inscriberem & dedicarem impulit, quàm quod res ipsa cum sit Numine plena & Numini nuncupanda, tu mihi Numen sis, & ego te pro Numine colam, (vtinam ita diuina, ita superos) te qui reuera Numen es à Deo

factum,

factum, & certis ac diuinis characteribus insignitum, quibus eos insignire solet Pater cœlestis, quos à cæteris mortalibus seiungere vult, & sui fauoris priuilegia circumferre, quæ cum feras, non erubesco te NUMEN *appellitare. Numen meum es, Heros es, Diuinus es, Semideus es, Numen, Lumen, Columen mihi es, Dæmon mihi es, & quid non? omnia!*

Exeat igitur mea DÆMONOMAGIA, *quam feci* ἐρωτηματικήν, *tui* NOMINIS & NUMINIS *auspiciis, non quod ipsa sit te digna, cui multa maiora ac diuiniora debentur; sed vt sit aliquid sacrificii & doni, quo te venerer. Tum vt aliis etiam significationem det amoris erga te mei. Sit tibi sacrificium, cæteris argumentum beneuolentiæ meæ, testimonium iudicii, animi grati, & in salutem tuam propensissimi, non omnino quale velim, sed quale possum hoc tempore monumentum; rem ipsam si perpendes nulla videbitur, animum respice, gratissimum dices, & tibi totum deuotum Deo si visum fuerit, vberiora, opimiora, & tuo splendore digniora à me accipies, quæ tibi si Diuinitatis beneficio vixero, offerre profiteor, recipio & spondeo, & eò quando peruenero, quò tendo, quò medullitus adspiro, tunc imponam super Altare tuum vitulos, tibique meo Lucilio, meo Attico, meo Idomeneo acclamabo, & anathemata ponam.*

Quod reliquum porrò est, amantissime frater, ego te per sanctissimam nostram amicitiam, quæ non in carne & sanguine, nec in corruptibilibus huius mundi, sed in virtute & spiritu inter nos conflata est, vel per quicquid inter nos pium, iustum, sanctum, fidum,

iocundum, amabile fuit vnquam, aut esse potest; vel si hoc parum est, per gloriosissimum Mundi Principem, rogo, obtestor, & adiuro, vt serena fronte & hilaro vultu placato animo hæc chartacea qualiacunq; accipias, foueas & exosculeris, interque κειμήλια ponas; Nec Dauidis cantionem, & Phaselitarum more datum sacrificium respuas, contemnas, alias animi mei in te propensionem respuere, & LVDVVIGUM tuum tibi prorsus deditum, consecratum, & addictum, LVDVVIGUM tui amantem, de te sollicitum ac sperantem contemnere videberis. Plura haud dicam, ne de fide tua diffidere videar, qui in eo animo es, vt quos semel in numerum amicorum cooptaueris, non tam facilè relegas & exauctores, præsertim cum in iis recipiendis tam sis cautus, tam diligens, tam contabundus, tam explorans, vt quos in intimam familiaritatem adsciscere & diligere velis, prius deligas, eligas ac explores, & nemini dextram temerè & inconsultò iniicias, quod singularis ingenii ac consilii in te rerum humanarum perito argumentum est. Quare de te non titubanter mihi polliceor, te eum fore, solito qui solidoque fauore, amore me æternum prosequi velit. Elegisti amicum prudenter, amasti feruenter, coluisti diligenter, fidem ad extremum præsta, in te viuo, in te spero!

Bene feliciter te valere, & Deo, Musisque te quàm carißimum esse iubeo, qui tibi vt fila vitæ tuæ protelet ac prolonget, Nestoreos in annos te florentem, vegetum ac fœcundum seruet, ne casus tui occasus fiet familiæ, ex animo precor. Vale iterum, & pro me ora, ego mutuum precum beneficium impendam, oraturus vt ille sanctorum conatuum prouector Spiritus, egregios tui

animi

animi generosi impetus fortunare, prosperare, vegetare, ac suo afflatu in maius & melius prouehere velit. Faxit CHRISTUS IESUS *Optimus ille Samarites, vt sicut hic studiorum societate dulcissimè coniuncti sumus, ita posthac æternæ veræque beatitatis nectare & ambrosia simul frui promereamur. Tertium & millies* VALE *atque* SALVE, MI FENCKENSESSER. SALVE. SPIRITUM CORPORI ADIUNGE, TE SPIRITUM, ME CORPUS NOMINA.

Dab absens præsens è meo Gurgustio, quod est Marpurgi, *non procul à Lano. Anno* Eius, *quem Diabolus maluit odisse & persequi, quàm amare, colere, atque venerari.* 1606.

Tempus obserua.
Regnante Rudolfo II. P. F. Cæsare,
Imp. semper Aug.

LAUDETUR DEUS.





ELICH PIO ET CANDIDO
Lectori Salutem.

IN me oppidò ſuperbiſſima hac tempeſtate, Candide Lector, exemplum editur, quæ & quanta ſint toleranda iis, qui periculoſæ, quod aiunt, aleæ negotium capeſſunt atque conficiunt, quale eſt illud, quod olim ſuſcepi de Magis, Magorumque ludis, de Dæmonibus Dæmonumque præſtigiis, non tàm difficile mihi, quàm periculoſum. Nam paucis annis ante, cum in Philoſophorum, Marpurgi quod eſt, Ἀκροατηρίῳ φιλοσοφούμενα quædam ſcitu & cognitu dignisſima, quid? quod ab animo omni philoſophico minimè aliena ſcitè & pub. DE MAGIA DIABOLICA, de ipſo Beelzebub, eiusq; pediſſequis, de Strigibus proponerem atque diſputarem, ꝓdibant illicò quidam vaniſſimi N. ſcurræ viliſſi-

vilissimi mihi meoq; Nomini inuidentes, qui Dæmoniaco liuore & insanissima cõuiciandi libidine à tergo me cõuitiis detestandis proscindebant, ac ita sauciabant vulnerabantq;, vt etiamnum ostendam, & publica gestem vulnera, penè immedicabilia; Et qui destinata quasi malitia omni genere calumniarum, manifestis mendaciis in me debacchari, & nequiter inuehi non erubescebant, passim in me diras voces atrocesque iactitantes in foro, in compotationibus, in tonstrinis, in lustris publicè & priuatim ebrii & sobrii dictitantes me Magum esse, me Dæmoniacum esse, me Necromanticum esse, me *Spiritum Familiarem* captiuum ducere, in vitro pascere, ita iniquissimè ac falsissimè commercii cum Spiritu familiari, siue cum Dæmone me insimulantes, atque omnia fortiter & monstrosè mentientes. O indignum & audax facinus! & mendacium ô plus quam diabolicum! Is ne vobis, ô stolidissimi asini, Magus videtur, qui de Magicis differit? is ne Diabolus vobis, qui de Diabolis? is ne Musca vobis, qui de Muscis? is ne rana, qui de ranis? Ha ha ha, perridiculum hoc

hoc eſt, mecum, quæſo, veſtras ineptias poppyſmis & ſibilis proſequimini, veſtram & craſſiſſimam ſtoliditatem ſuaui mecum excipite riſu, quin imò impietatem deteſtandam excutite, linguam diabolicam, calumniatricem & maledicam, qua me & alios impiè traducitis, purgate, caſtigate, aut totam præſcindite, & ſi verè religioſi videri vultis, vt vultis, audite, mando vobis ſeriò, audite Salomonem ſalubriter admonentem, *Remouete à vobis os prauum, & labia detrahentia ſint procul à vobis*, nec ſic calumnia iugulate fratrē, nec linguæ ſpiculo confodite vicinum, mentiri in caput proximi religio vobis eſto; quæ cum hactenus vobis non fuerit, iuſtam mihi iam loquendi querendique præbetis occaſionem & materiem. Sed quid agam? quid loquar? neſcio, hæreo, ſtupeo, ineptus ſum ad loquendum, ad cogitandum vix idoneus; conuitia illa maleuolentiſſimorum hominum, aut potius canum rabidorum latratus, & anicularum corruptarum etiam, quæ de me acceſſere, ſomnia vaniſſima in pectus dum inſtituo meum, ad ſuſpirandū, non dicam ad lachrymandum, pronior ſum,

ſum,q̃ ad loquendum, ita me perturbant & concutiunt: licet non ſit puri, integri, innocentis, & firmi animi, ac in ſolido bonoque fundati leuis auræ flatibus atq; delirarum vetularum ſibilis ſtolidiſſimiq; vulgi murmure agitari; exagitant tamen, concutiunt & perturbant, profiteor iterum, vociſque iter ſolitum obſtruunt, quia Magnis etiam me odioſum poſſent reddere viris, (de quibus vt tam diſcretis furor aliquis tantus & talis haud credibilis futurus eſt) quos ego ex ore imperitæ multitudinis pendentes, & anicularum ſomnia obſeruantes, earumque verbis prurientes aures præbentes in magnis viris habendos vix cenſebo, vt qui mendaci, præcipiti & prona credulitate rapti, tracti, retracti, tranſuersè acti, totique ferè euerſi, magni eſſe aut videri minimè poſſunt. Loquar verò vtcunque, quod in animo eſt. Poſſem ſacramentis paginam implere, ſed quia ſæpe minus creditur multa iurantibus, ſimplici verbo vir & probus & magnus quiſque libenter dabit fidem. Nunquam ego M. Philippus Ludvvigus Elich, ſcrutatorem mentium Deum teſtor, Magica affectaui, quæ coram

Deo

Deo βδελύγματα sunt, ast ab omnibus Dæmoniacis rebus, flagitiisq; Magicis ita abhorrui in hunc vsque diem, vt fugerim ea tanquam inferni portas. Credat hoc vir probus mihi persanctè iuranti, per nomen eius, qui omnia potest, qui omnia nouit, per nomen eius, qui viuos & mortuos punit perditque. Si quid enim veri est in mundo, hoc verum, siue, vt emphatice dixerim, ipsa veritas est. Is non sum! Is non sum! iure iratus exclamo, quem me inuidi & maleuoli proclamarunt. Magus sum, id est, Philosophus sum, Physicus sum, Theologus sum. Is sum, qui alios miratur, eos maxime, quos studiorũ mater omnium tulit antiquitas, idque iure meo facio, & meritò miror, quæ vulgus despicit, & despicio, quæ vulgus miratur. Videtisne quàm procul absim? vt semotus sim à studiis illicitis? quæ ne me meoque animo digna censeam; vt alienus sim à commercio Spirituum Familiarium, quos vos Cacodæmones putatis. Non desunt tamen, nec defuerunt mihi vnquam Spiritus Familiares, quos simpliciter Dæmonas nuncupare possum, quorum totum Catalogum in calce meæ

DÆMONOMAGIÆ vobis conſignaui. Hi ſunt mei Spiritus Familiares, mei Dæmones, hi ſunt mei Aſſeſſores, mei Conſiliarii, hi ſunt, quos cotidie in conſilium adhibeo, hi ſunt qui animum geniumq; exhilarant meum, hi ſunt, qui eundem colunt & excolunt, hi ſunt, qui mihi ad nutum faciunt, mihi inſeruiunt, ſua ſtudia mecum communicant, & operam mihi commodant; hi ſunt, qui me mirabilem & ſingularem faciunt, hi ſunt, qui me erudiunt, & animam ex inſcitię rubigine eximunt, & è fece populi atque imperitorum turba me qui educunt atque eruunt. Hos ne ſtupetis? hos ne nauſeoſi reſpuitis? ſi reſpuitis, non tàm literatos, quam literatores vos eſſe, exiſtimaturus ſum, alii alios. Hîc quia temporis anguſtia coarctor, nolo laborioſius calumniantium oppedere naribus, & ἀνταποπερδεῖν, vel ſcrupuloſius litigare cum inuidis: curabo interim, omnique niſu id agam, vt, quod inuidiæ proprium eſt, ſeſe malo ſuo crucient, eò miſeriores ſint, quô mecum agi felicius ſenſerint. Dum vrgeor, ſtabo, dum terreor, fidam, aſſurgam dum premor, dicam animo, dicam corpori, Vir-

ri, Virgilianum illud famoſiſſimum:

-----*Dabit Deus his quoque finem.*


Sileant modò qui calumnias ſtruunt, & qui calumniantib. fortè crediderunt, hi ſi lubet, hæc mea legant, & ipſi à calumniis ſibi temperent, ab iniuriis ſtudiorum abſtineant; in pecudes potius virulentas ſuas linguas vibrent, quàm in me hominem, qui maledictis laceſſo neminem, religionum ordines non labefacto, impia in Dominum noſtrum IESUM CHRISTUM non effutio, Reipub. non officio, ne Deo hominibusque probis execrabiles & abominabiles emoriantur, & tanquam fures & latrones Diabolo hoſti Dei ſtrangulandi obiiciantur. Satis luctatus ſum cum inuidis & maleuolis, à quibus vix mortalium vnus tutus eſſe poteſt. Non parcitur hodie benemeritis, non parcitur ſenectuti, non parcitur dignitati Principum, non parcitur Epiſcopis, non ſummis Pontificibus, cur minus ego maledicorum flatib. expoſitus? cum nemo hominum à Sycophantarum linguis ſit tutus. Hoc vnum eſt, quod me conſolatur & erigit. Alterum accedit & ſummum & maximum, quod magis atq; fortius

fortius me sustentat, animumque firmat meum; Pius Lector diligenter id percipiat. Ecce Spiritus sanctus, qui nunquam resiliit ex animo meo, is me edocet, hæc omnia vel eo nomine toleranda mihi esse, quod sciam, Dn. nostrum Christum, omnis salutaris scientiæ, doctrinæ Μαγείας siue sapientiæ auctorem, nullum nō probrum & afflictionis genus perpessum. Itaque mecum reputo discipulum nunquam potiorem fore Magistro, nec seruum melioris conditionis Domino suo. Abundè mihi sufficit æquari meo Magistro. Quod si patremfamilias spurcissimi Nebulones conuitiis affecerint, & spurcissimo opprobrio Beelzebub nominarint, & Filio Dei spurcissimi Dæmonis nomen imposuerint: Quid mirum! si quidam existant, qui ausint in me seruum familię Beelzebub nomen incudere, & me Dæmoniacum appellitare. Non nescius sum, graue malum videri infamiam, atque adeò malum, vt morte propemodum acerbius. Sed laus est, non infamia, quę infertur ab impiis ob studia non contemnenda. Dicant me Magum cerebrosi illi blaterones, dicant me vani-


loqui Dæmoniacum, hæc ignominia post vertetur in gloriam: Si qua meo nubes hactenus nomini incubuit, si quid infamię ex maledici oris flatibus ac crepitibus, & ex amarissimis quorundam in me odiis conflatum est, totum, crede mihi, vt dixi, in gloriam conuertetur, cũ eluxerit, vt elucescet multo Mundo mea in sacratissima quæque studia propensio magna & multa, quam omnes pii, docti, boni bonis laudibus vehent, execraturi eos, qui me falsa fœdarunt infamia. Scriberem longius, non tamen immoderatè & dissolutè, ni murmure eorum, quos aut vereri aut metuere debeo, admonerer, finem vt faciam, & ad VALE respiciam, properemq;, licet affectus scribendi haud desint, quibus turgidus, inflatus, si quæ dixi, dicta ea sint pro iure meo, pro fama mea, cuius prodigus esse non possum, nec debeo, vt qui crudelis non sim. Nihil dixi, nisi quod Diabolos, calumniatores, mendaces & pessimos quosque lædet atque offendet. Hi si quid exinde arrepturi sunt, ipsi sese vt fortes prodent, & malitiæ suæ signa ac argumenta ostendent luculentissima, quorum malitiam

omnesq;

omnesq; impetus parum moror, magno animo, tuto ac toto eos despicio, nixus cœlesti CHRISTI præsidio. Tu nunc, Lector optime, optimè vale, & me in Spiritu tuo pone, meamq; DÆMONOMAGIAM tibi commendatam habe; stylo passim inculto & hîc improuiso ac tumultuario, quem nescio, quod tempus & diei hora, & ad peregrinos longinqua mihi suscipienda profectio coegerunt; in precibus insuper tuis sis memor mei omnia mortalia contemnentis, vt quæ transeant, & ad non ESSE festinent. Iterum vale, & viue diu felix atq; sospes, mecumque hodiè gaude, Lector candide gaude.



Gaudeamus & lætemur hodie, hodie, ho-



die, vale, vale, vale nunc lætissimè.

Dab. citiùs quàm asparagi coquantur, è studiolo meo, quod est MARPURGI,

in ædiculis patriis. Anno 1606. ſeculi mali ac periculoſi, in quo nec benè nec malè dicere licet.

A D



AD AMICVM
LECTOREM.

ELICHII è præsente libro, quem cura Magistri,
Et nocturno oleo fota lucerna dedit,
AN, Quæ, Quanta malis Qualisque potentia Flabris
Spirituum statui possit, amice cape:
AN, Quæ, Quanta MAGIS Qualisque potentia detur,
His quoque finitimum siquid, amice cape:
Praua boni norunt, sed non vt honesta sequuntur:
Sic tibi fas vetitum nosse: nocere minus.

Rodolphus Goclenius senior, Philosophus in Academia Marp. & nunc temporis Collegii Philosophici Decanus.

ELENCHVS QVÆSTIONVM in Dæmonomagia decisarum.

I.

An sit Magia Dæmoniaca?

II.

Quis sit huius Magiæ primarius auctor & effector?

III.

Quæ sit diuisio Dæmoniacæ Magiæ?

IV.

Quæ sit basis Magiæ Dæmoniacæ? vbi de pacto expresso & implicito.

V.

An Magia hæc Diabolica quosdam habeat effectos veros, quos Barbariusculi Reales vocant?

VI.

Quæ Magorum & Lamiarum potestas in orbes cœlestes, sidera & elementa?

VII.

Quæ Magorum potestas in corporis & fortunæ bona?

IIX.

An venefici aliqua mixta maximè sensibilia arte Magica producere possint?

IX.

An Dæmones sint incubi & succubi, & an ex tali congressu humana proles nasci possit?

X.

De nocturna Sagarum ad nocturnas suas Synagogas, commessationes, saltationes, concubitus profectione, an vera sit earum translatio de loco ad locum?

XI.

An possit Dæmon quantitatem corporum mutare, comprimere siue rarefacere, ut partes sese penetrent, aut corpora reddere ἀόρατα, aut corpus vnum vt duobus in locis existat efficere?

XII.

An penes Dæmonem Magosq́ sit corpora ex vna in aliam speciem transformare? vbi de Lycanthropia.

XIII.

An Magica arte Magi efficere possint, vt bestiæ loquantur, & an ipsi intelligant voces bestiarum?

XIV.

An possit Dæmon facere, vt homo sit ἀναίσθητος, id est, vt non sentiat; vel vt longissimo

tempore dormiat, aut famem longiorem vt sustineat?

XV.

An poßit Dæmon facere, vt homo mortuus verè resurgat?

XVI.

Quæ Magorum potestas in ipsos Cacodæmones & in SPIRITVS FAMILIARES?

DÆMO-

DÆMONOMAGIÆ

M. Philippi Ludvvigi Elich

QVÆSTIO I.

An sit Magia Dæmoniaca?



Actum est quorundam nefaria impietate & peruicacia, vt quæstio hęc vulgata, recepta, confessa, vsitata, facta sit controuersa. Nam qui Dæmones esse negarunt, etiam hanc esse negarunt, cum Sadducæis, Democrito, Aristotele, Auerroe, & Simplicio, quorum placita nos, qui Religionis Christianæ sacram amplexi sumus doctrinam, prorsus respuimus. Esse enim Dæmones, & Dęmoniacam Magiam, (opponimus hanc *Magiæ Naturali*, quam esse nemo sanus it inficias) quæ nec industria aut artificio hominum, nec naturalibus causis, sed sola Dæmonum opera ac ope nititur, ex Sacræ Scripturę testimoniis, & ex omnium ætatum memoria atque experientia satis superque in confesso est, vt sit luce meridiana clarius, ita vt velle id probare, nihil sit aliud, quàm lychnis ac-

censis Soli meridiano velle lucem inferre! Suffragatur nobis Augustini augusti illius Theologi auctoritas, cui adstipulantur Theologi ad vnum feré omnes. Philosophi plerique, Trismegistus, & Pythagoræi: Ex Platonicis Psellus, Plotinus, Proclus, Iamblichus, Philoponus, Apuleius, Auicenna & Algazel. Cum igitur huius quæstionis affirmatiua sententia per se & ex se sit clarissima, lumen Soli mutuum dare nolumus. Quare Deo benefeliciter secundante ad seq. quæstion. progredimur.

QVÆSTIO II.

Quis sit huius Magiæ primarius auctor & effector?

SVnt nonnulli qui Dæmones esse prorsus nō ambigāt; attamē negant huius Magiæ Dæmoniacæ esse auctores Dæmones, tribuentes effectus eius, vel immediatè Deo per Magos operanti; vel per Angelos bonos perficienti. Priores dicūt esse quasdam gratias gratis datas, sicut sunt gratię linguarum & sanitatum, *1. Cor. 12. v. 28.* & hæc dona, vt Balaamo, *Num. 23.* sic & aliis improbis non rarò con-

concedi, *Matth. 7. verſ. 22. 1. Cor. 13. v. 1.*

Primò hanc ſententiam dicimus eſſe merè blaſphemam. Tribuit enim Magicis artibus, quod eſt proprium gratiarum gratis datarum, & cum veris miraculis præſtigias confundit. Deinde gratuita Dei dona ſubdit humano artificio, ac certis ridiculisq; obſeruationibus. Dein iniquè Deus vetaret id, quod ipſe hominibus vti gratiam gratiosè largitur. Huc accedit, quod qui ex dono gratię gratis datæ operatur, ille ad certum tempus, occaſionem, aut ceremonias ridiculas ac deteſtabiles certe non alligatur, vt Magi alligantur, qui ſi vel in minimo errent, aut deficiant, nihil efficiunt, in caſſum laborant, oleum & operam perdunt. Nec huiusmodi DEI dona gratuita poſſunt aliis per diſciplinæ ac Præceptorum modum tradi; Magi verò ſuis diſcipulis hãc Magiam tradunt, & Auditores Magiſtrorum ſequuti pręcepta eadem, quæ & Magiſtri operant̃, perficiunt atq; ꝓbant.

Iterum dicimus, vt nec per ſe, ſic nec per bonos Angelos hisce Magicis operationibus Deum ſeſe immiſcere magis, quàm cæteris rebus, in quibus concurrit

vt

vt causa vniuersalis. Et Angelos non bonos, sed malos esse, quorum Magi auxilio & adminiculo miros Magiæ effectus edunt, ostendunt & exhibent, vel inde manifestum est, quia spiritus isti iubent sese à Magis adorari, sibique sacrificia fieri, hoc proprium est malorum Dæmonum symbolum, qui honorem diuinum, quem ab initio affectantes assequi non potuerunt, decipiendis hominibus aliquo modo obtinere cupiunt: Boni enim Angeli hosce honores non solùm exoptant, sed & vehementer respuunt & auersantur, vti legimus in *Apocalyp. capitul. 19. versicul. 10.* Angelum prohibuisse, ne Iohan. ipsum adoraret; *Vide*, inquit, *ne feceris, conseruus enim tuus sum*, &c. *DEVM adora*. Deinde Magi sunt homines flagitiosissimi, sordibus omniũ peccatorum pollutissimi, artibus Magicis turpiter putideq; abutentes, ad inferendum exitium aliis, faciendamq́; hominibus iniuriam, dum patrant adulteria, stupra, furta, homicidia, & vtplurimùm infanticidia, à quibus sceleribus Angeli boni naturâ abhorrent, maleficis eiusmodi hominibus nullo modo fauentes:

tes: Poſt illa Magi multa miſcent mendacia, multasque fallacias, quibus homines circumueniunt & decipiunt, vt paulo poſt dicemus, quod à bonis Angelis longè abeſt, vt qui in talibus cooperari non poſſint. Prætereа Magi inuocando eos, quorum adminiculo & opera vtuntur, minantur ipſis impoſſibilia & abſurda, niſi venerint, vtẽtes in ipſos imperio, coactione & minis, quorum nihil Angelis bonis conuenit, vt apud Euſeb. docet Porphyr. *lib.* 5. *de Præparat. cap.* 6. Vide etiam Bernhard. Baſin *tractat. de Artib. Magic. propoſit.* 6. & 7. & Determinat. Theolog. Pariſienſ. *art.* 9. 19. & 23. quæ eſt præfixa Dæmonoman. Bodini.

Tertium hîc deprehenditur & impium æquè commentum eorum, qui opinantur per animas defunctorum effectus Magicos fieri; quod iam olim dies deleuit, & veritas oppreſſit, & auctoritas Theologorum exploſit atque diſſoluit, leui quidem flatu. Nam vox diuina docet nos, electas electorum animas transferri in Paradyſum, id eſt, in locum beatis præparatum, vt fruantur lætitia æterna: Impias verò impiorum animas relegari

& de-

& detrudi in infernum, id eſt, condēmnatorum ſedem, vt experiantur & ſubeant ſtatuta ipſis ſupplicia, irrogatoſque cruciatus. Vnde nec hæ, nec illæ redeunt. Impiæ ſiquidem perpetuis & æternis addictæ ſuppliciis, nulla Dæmonum licentia, vel permiſſione, vel vi exire poſſunt, vtpote diuino iuſſu perpetuo mancipatæ carceri. De animabus piorum non aliter quàm de bonis Angelis ſtatuimus, & piè ſentimus.

Apertiſſima igitur mendacia ſunt ab ipſo Dæmone monſtroſorum mendaciorum patre conflata, & ex inferis emiſſa ad illaqueandas aliorum animas, quæ de euocandis & citandis defunctorum animabus per GRIMOYRIAM confinxére Necromantici. Si enim euocatæ aduenirent & erumperent; vnius DEI iuſſu aduenirent. Cur verò id Deus iuberet, cauſa in cognitionem noſtram venit nulla, vt ad Necromanticorum preces obteſtationesq; id velit, id iubeat, nemo ſibi qui ſanæ eſt mentis, perſuadebit vnquam, aſt naſum habens fraudem ex facili ſubodorabitur. Quare ſobriè ac piè iudicamus, hæc omnia, vt inſtituta fuere

à malis

à malis Angelis, ſic & ab illis perfici & administrari. Contra ſentire & ſententiam aduerſari noſtram, ἀσεβὲς eſt & erroneum, cunctisq; ignibus plectendum. Concludamus denique neceſſe eſt, efficientem cauſam iſtarum artium eſſe ipſum Diabolum, proximam eſſe humani ingenii ex originali labe detortam indolem.

QVÆSTIO III.

Quæ ſit diuiſio Dæmoniacæ Magiæ?

HÆc Magia ex libris Magorũ Iambl. de Myſter. Ægypt. Procli de Sacrif. & Mag. Porphyr. de ſacrif. dispartitur in ALBAM & NIGRAM. Albam vocant Θεουργίαν, & Nigram Γοητείαν.

THEURGIAM ſiue Albam licitam putant, bonam & laudabilem, qua certis quibusdam hoſtiis & ſacrificiis, munditia quadam animæ & corporis, aliisq; ſacris ceremoniis, albos, bonos & beneficos Dæmones inuocant, quorum afflatu & auxilio occulta manifeſtant, & futura prænuntiant, aliaque mira edunt Magiæ opera, quæ vt & alios effectus ões falsò albis ſiue bonis Angelis adſcribunt, quos per excellentiam vocant *Spiritus*: ſic gloriabatur

riabatur celeberrimus ille Magus & præstigiator Scotus Parmensis, qui superioribus annis in Germania, Bohemia, Italia multos Magnates dementauit & mirè fascinauit; Eandem fraudem prætendebat Cœcus ille Magus, cum sociis amplius 150. sortilegii accusatus, & Lutetiæ suspensus, vt refert Bodinus *in Dæmonoman. lib.2.c.1.* Danæus *in Dialog. de sortiar.* hunc Cœcum è sodalitio XV. viginti virorum, id est, trecentorum Cœcorum collegio prodiisse narrat. Sed non est hoc nouum & recens Scoti, Cœcique commentum, aliorumque, quos nostra, nostrorumque patrum ætas vidit. Est peruetus excogitatum, fraus & impostura exoleta vetustissimorum Magorum, maxime Platonicorum, Iamblichi, Porphyrii, Plotini, Procli & Iuliani Apostatæ, ab ipsis in hoc excogitata & inuenta, vt quasi tegumentum sit, sub quo latere possit maxima impietas, qua tecta & velata honores pene diuinos astutè & callidè sibi per artem Magicam venantur & acquirunt, vt pro Numinibus & Diis habeantur, cultores fœdè & turpiter decipientes suos, illudentes & seducentes. Verùm Henric.

Cor-

Cornel. Agrippa homo Magica arte insignis in suo de artium vanitat. c. 46. hanc Theurgiam fictitiam & planè palliatam satis reiicit, (fortassis imprudēs) cùm disertis & expressis verbis testatur, sæpenumero sub Dei & Angelorum nominibus, malis malorum Dæmonum fallaciis eam obstringi. *Et licet*, inquit Agrippa, *eius ceremoniarum pars maxima munditiem animi, corporis & rerum externarum, utensiliumq; ostentet, impuros tamen spiritus & deceptrices potestates hanc requirere, ut adorentur pro Diis.* Sed hem! quid nunc incidit nobis? minimè imprudens hæc dixisse videtur, cum in suo de Occul. Philosoph. lib. 3. c. 54. de Munditia agens, prioribus affinia effutiat, hęc iunior, altera ætate & iudicio firmior. *Munditia*, ait ille, *comparata homo cælestis & spiritualis euadit, & ad Dei contuitum unionemq; sic disponitur, dum mundo corpore & pura mente Deo ministrat, & in omnibus munditiem amplectitur, in visceribus, in cute, in vestibus, in utensilibus, in habitaculis, in muneribus, oblationibus, hostiis, sacrificiis, quorum omnium munditia etiam aerem purificat, influxumq; illum mundissimum cælestium & diuinorū attrahit, & mun-*

dos Dei miniſtros, Dæmonesque bonos allicit; Licet nonnunquam etiam immundi Spiritus & Cacodæmones, veluti bonorum ſimiæ, vel vt adorentur & decipiant, huiusmodi munditiem exquirant. Ideoq; inprimis obſeruandum cenſet, vt habeatur animus mundus, & cor purum, ne immundæ poteſtates adſcendere queāt.

Hocce de ALBA MAGIA iudicium Hen. Cornel. Agrippæ vt veriſſimum & rectiſſimum admittent probi libenter omnes. Cum Agrippa ὁμόφωνός eſt, Iambl. de Myſter. Ægypt. pag. 45.

GOETIAM nigram ſiue Nigromantiam, die Schwartz Kunſt / malam, reprobatam & illicitam arbitrantur, denominatam ἀπὸ τῶν γόων καὶ θρήνων περὶ τοὺς τάφους, à planctu & gemitu lamentabili, quo circa mortuorum ſepulchra animæ eorum ex inferis euocantur. Hanc Archi Magus in duas ſpecies diſtinguit. Vnam, cuius cultores dicit ſe Dæmoni ſubmittere, ei ſacrificare, eumque adorare, *citat. lib. c. 45.* Alteram, quam ipſe vult perſuadere à pacto cum Dæmonibus immunem eſſe, ſed eam Dæmonibus vel inuitis imperare, vir

re, virtuteq; quadam diuini nominis adiuratos aduocare, adstringere & cogere.

Priorem legibus diuinis humanisque esse prohibitam, nefandissimam, cunctisq; ignibus plectendam pronuntiat. Posteriorem asserit consequi quidem quod prætendit, nempe Dæmonas cogere, (quod erroneum est) sed tamen periculis manifestis obnoxiam esse. Notandum itaque de priore, verum esse eius testimonium, de posteriore eum bis mentiri. (ignoscite Manes Corneliani) Primò dum negat, eam inniti pacto cum Dæmonibus inito: Secundo, dum affirmat, eum Dæmonas cogere, de quo prolixiùs in seqq. R. Goclen. Nigromantiam putat corruptam esse vocem pro Necromantia, νεκρομαντεία, (ex Necros & Mantia) vel νεκυομαντεία; Νεκρὸς autem idem est, quod mortuus seu defunctus. Itaque Necromantia est diuinatio, quæ fit ex mortuis. Sic νεκυομάντης est, qui mortuos euocans & suscitans futura vaticinatur. Necromanteum (νεκρομαντεῖον) est vaticinium, quod fit euocatis mortuis, seu responsum, quod inferorum vmbræ euo-

catæ de futuris reddunt tanquam oraculum.

QVÆSTIO IV.

Quæ sit basis Magiæ Dæmoniacæ? vbi de pacto expresso & implicito.

OMnes operationes Magicæ veluti basi innituntur, PACTO cum Dæmone inito, ita vt quotiescunque Mago placeat aliquid efficere adminiculo suæ artis, expresse vel implicitè teneatur à Dæmone petere, vt ex condicto concurrat.

Hoc pactum non inane vanumq; esse, ratio nobis persuadet. Nam multi deplorati ingenii homines id exoptant, amant & exosculantur, & Dæmon non renuit; Nec vires id eorum superat: declarat idem Esaias Proph. *capit. 28. v. 15.* vbi impii (puta Magos) exclamant; *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Ex quo intelligimus, reprobos, maleficos libenter & alacriter fœdus ferire cum Dæmone, quod ipsum ipsi nō est nauseosum aut molestum, sed pergratum, vt qui Christo Domino nostro non subueritus sit eiusmodi pacti conditio-

ditionem petulanter & ſuperbè offerre; *Hæc omnia*, inquiens Matth. 4. v. 9. *Tibi dabo, ſi procidens adoraueris me.* Videsne pactum contractus innominati? do vt facias. Similiter maleficis ſiue Magis dicit, te mihi ſi addixeris, te mihi ſi deuoueris, vlciſcar te, ditabo te, beabo te &c. quæ perfecta eſt pacti formula. Perſuadet nobis idem Determinatio Pariſiis facta, per almam facultatem Theolog. Ann. M. CCCXCVII. artic. 3. cuius verba hæc ſunt: *Quod inire pactum cum Dæmonibus tacitum & expreſſum non ſit idololatria, vel ſpecies idololatriæ*, ERROR. *Et intendimus eſſe pactum implicitum in omni obſeruatione ſuperſtitioſa, cuius effectus non debent à Deo, vel natura rationabiliter expectari.* Tertiò nobis id perſuadet Ius Ciuile, ſanctio Imperatoria: *Multi Magicis artibus vſi elementa turbare, vitam inſontium labefactare non dubitant, & Manibus accitis audent ventilare, vt quisquis ſuos conficiat malis artibus inimicos, hos, quoniam naturæ peregrini ſunt, feralis peſtis abſumat.* C. de Malef. & Mathemat. Confirmatur deniq; auctoritate Patrum. Auguſtinus & Cyprianus verum eſſe experientia edocti id teſtantur; imò con-

ſentiunt & concinunt hac in re Theologi tam veteres, quàm recentiores. Binsfeld. Spinæus, Sprenger, & alii. Iuriſtę quoque accinunt. His accedit vnanimis omnium maleficorum & Sagarum per totam Europam conſenſus. Atque adeò vt non parùm admiremur deluſum & faſcinatum Wierum, vnicum olim ſagarũ patronum & patrem, qui in libello ſuo de præſtig. Dæmon. pactum hoc ſuauiter irridet, & multo niſu infringere conatur, magis tamen futiliter & impiè quam dici poteſt. Aſt caſtigatus ab aliis, & ſæpe flagro quo dignus exceptus, pœnam erroris ac pertinacię perſoluit debitam. Hũc ſequuti Godelman, & Tandler ſcriptores nuperi duriores merentur plagas.

Hoc pactum ſeruare, vel dirimere Dæmoni omnino eſt liberum. Probatur ratione & experientia. Ratio docet Dæmonem ab homine cogi non poſſe, vt ſtet promiſſis. Experientia verò, eum mendaciſſimum decipiendiq; cupidiſſimum eſſe, ſatis magno noſtro malo teſtatum facit, fecitq;. Quamobrem rarò præſtat alicui, quod pollicitus eſt, cum verò pręſtat (quod nonnunquã fit) non facit coactus, ſed ſponte & dolose, vt ſibi Magos

ſic obſtrictos, obſtrictiores, tandem obſtrictiſſimos reddat, aliosq; alliciat, in ſuã naſſam pertrahat, & eiusmodi nugis vim aliquam ineſſe perſuadeat; vt ſummatim dicamus, Machinę, doli, fallaciæ ac præſtigiæ ſunt meræ, quibus errores hominum aucupatur Satan, ſuum apud eos imperium vt propaget, ſtabiliatque ac cõfirmet. Nã is vnicus eſt ſcopus, in quẽ omnes actiones ſuas intẽdit ac collimat.

Pactum huiusmodi duplex eſt. Vnum expreſſum, alterũ tacitum. Pacti expreſſi modus eſt triplex. Primus fit ſolemnitate varia, vtplurimum ipſi Cacodæmoni, viſibiliter in corporea aliqua forma apparenti, coràm teſtibus fidelitas & homagium promittitur. Talem pactionẽ fecit Nobilis quidam, de quo Martin. Delrius, *tom.1.lib.2.q.4.* Petr. Binsfeld. *de confeſ. maleſ. prælu.6.p.30.* vbi Dæmõ loquens audiebatur, ſed nõ cõſpiciebatur; hic inter cætera Nobilis ille creatorem ſuum ore negabat, Dæmoni homagium pręſtabat, animum atque corpus illi in æternũ dedens. Diabolus illi viciſſim opes, diuitias, & honores pollicebatur, perpetuã felicitatem, gaudia ſolida atque immenſa, &

voluptates quascunque in mundo appetiuerit, & post hanc vitam longè maiora. Tanta & tam grandia Nobili; aliis non minora promittere solet. Liberè fatebatur Sortiarius quidam Iohan de Vaulx, persuasisse sibi Diabolum, sortilegos post hanc vitam similes futuros Dęmonibus, & in aere principatum obtenturos. Sed quis non videt Diabolum à consiliis nequitiæ non deseri?

Alter modus est priori similis, nisi quod sine testibus peragatur. Tertius per Vicarium constituitur, Magum scilicet, vel tertium aliquem, cum paciscens Dæmonis teterrimæ belluæ teterrimam frontem, vel eius colloquium reformidat & refugit.

Pactum sæpè etiam scripto confirmatur, quando nimirum Dæmon vult, vt instrumentũ obligationis paciscens conficiat, & chirographum proprio scriptũ & subscriptum sanguine exhibeat; quale exhibuisse fertur Causidicus quidam Cœcilius Magi Lutetiæ suspensi socius & consors. Eodem modo se obligasse Faustum constat omnibus; is Deo renunciãs, totique beatorum choro repudium mittens,

tens, Dæmoni fidem ſpondens, & pactum ſponſionemque cum ipſo ſanciens, proprio ſanguine, ex leuiter vulnerato pollice emiſſo, ſe totum ipſi ſubſcripſit & adſcripſit penitus, idque non ſimplici vice. Fecerunt idem eodem modo alii. Vide Georg. Rudolph. Widman *in Hiſto. Fauſt. part. 1. cap. 10.*

Fœdus tacitum duplex eſt. Primum, quando quis ſciens & volens ſuperſtitioſis vtitur ſignis, quibus vti ſolent Magi, quæ ex libris vel ſermonibus eorum acceperit. Secundum, quando quis ignorans vtitur ſignis Magicis, quæ neſcit eſſe mala ac à Dæmone inſtituta, quod illis accidere ſolet, qui bona fide legunt libros ſuperſtitione plenos, arbitrantes eos eſſe probatorum, aut Philoſophorum, aut Medicorum. Sed hoc impropriè eſt pactum.

Nec prætermittendum hoc loco & tempore, quod tartareus ſpiritus ſibi recens addictos, & in numerum adſumptos, veluti immanis carnifex, inhumanæ & barbaræ ſeruitutis teſſeris inuſtos & inſignitos habere velit, eos præſertim, quos nouit, non toto pectore, tota ani-

ma, totisq; viribus ſibi deuotos & deditos, vt ſit quod eos forte fugitiuos comitetur ac notet. Quæ olim Dominorum in ſeruos importuna crudelitas & ſæuitia, ob ſtigmata eiusmodi maximè intolerabilis; quos vero conſtantes & egregiè fideles conſpicit, eos notis non compungit, vt obſeruauit Lambert. Danæus *in Dialog. de ſortiar.* Res hęc de notis tam certa eſt, quàm certiſſima, & ſunt iudicum oculis obuiæ & perſpicuæ, niſi fortaſſis ſint in locis abditiſſimis. Aliis enim, vti didicimus, in labris eſſe ſolent, aliis ſub palpebris, aliis ſub axillis, aliis (honor ſit auribus) in podice, aliis in genitalibus, plurimùm tamen in dextero humero. Vid. Nicol. Remig. *Dæmonolat. libr. 1. cap. 5.* Bodin. *Dæmonoman. libro ſecundo, capit. 4.*

Cæterum nec id reticendum, quod nefandiſſimum eſt & deteſtandum valdè, pleroſque Magicis ſortibus inquinatos, & in cohortem cooptatos, ex animo non prius acquieſcere, quàm ſe iterum execrabili Diaboli lauacro, & in nomine Satanæ abluendos, baptizandos curauerint, & vocandos altero nomine,

ex

ex quo contingit, vt Magis plerisque dupla sint nomina.

Neque verò dissimulandum, Magum vnum Sathanæ penitus prorsusque addictum in nassam eius pertrahere, in sodalitium & familiaritatem adsciscere, & laqueis satanicis intricare posse, vel sexcentos alios, incautos & simplices, ac ad rem procliues. Nam carnifici DIABOLO qui constrictus & addictus est, ei nihil prius esse potest, nihil satius, nihil efficacius ad promerendam, captandam, ineundam & retinendam ΤΟΥ ΨΕΥΔΟΘΕΟΥ amicitiam, gratiam atque pacem, quàm si quamplurimos in familiaritatem pertrahat, & regnum augeat, amplificetque.

Itaque sæpissimè vxor perducit eò & seducit virum, mater filiam atque seruam, vt iustæ familiæ aliquando sortilegii labe infectæ persistent in multa secula; quas omnes & singulas tempestate hac stantes iustissimus Deus faciat cadentes, & Deus, qui viuos & mortuos perdit, funditus eas perdat, totumq; Satanę regnum

euer-

euertat, destruat atque pessundet, pio voto precamur, ac rogamus enixè.

QVÆSTIO V.

An Magia hæc Diabolica quosdam habeat effectus veros, quos barbariusculi Reales vocant?

PEpo sit, inquit Martinus Delrius, non homo, qui vel asserit omnes effectus esse φαινομένους & præstigiatorios, vel iudicat omnes esse γνησίους & veros. Sæpius enim Dæmon fallit & mentitur, quia mendacii pater est, & ideò sæpissimè hominum oculos circumscribit ac perstringit, sensibusque eorum illudit, vana obiecta imagine, veluti glaucomate, vt ea quę sint, tanquam non sint, appareāt, & quæ non sint, tanquam sint, apprehendantur. Nec rarò Deus nobis semper ꝓuidus impedit inhibetque, ne quod ad nutum atq; voluntatem Magorum facere & probare instituit, id verè probet faciatq;, quod cum animaduertit, ad præstigias (quas non ineptè quidam oculorum ludibria indigetauit) confugit, ne impotentiam suam detegat & prodat. Ex permissu verò DEI, si Diabolus verum effe-

effectum vult producere, nisi is vires eius superet, quid obstabit, quo minus effectum producat? Etenim causę naturales verum effectum gignunt, quibus Diabolus vti potest, & actiua passiuis applicare. Graui igitur iudicio Theologi ad vnum omnes duplices Magiæ effectus, veros & apparentes siue præstigiatorios, constituunt ac agnoscunt; quibus Martinus Delrius MIXTVM sc. ex veris falsisque siue apparentibus annectit. Delr. *Tom.1. Disq. Mag. quæst. 4. lib.2.*

Sæpè etenim miscet Dæmon mendacia veris,
Vt tenebras lucem credula turba putet.

Ad præstigiatorios iam referamus, quod literis proditum est, Paseten quendam fuisse inter Magicæ vanitatis consectatores notæ primæ, qui carminum potentia sumptuosum ac refertissimum repentè conuiuium conuiuis exhibebat, idque cum libuit euanuisse, discumbentibus omnibus fame ac sibi elusis: si quid emebat, id agebat, vt erogati nummi in mercatorum manibus seu loculis apparerent, verum mox nummi à venditore ad emptorem rediisse cernebantur. Similia multa, quæ simplices in admiratio-

nem

nem rapiant, Cocloarii, (quos nos agyrtas, siue circumforaneos seu Ioculares, Ludiones, siue præstigiatores, impostoresque nominamus, Iurisconsultus vocat Parabolanos,) die Gauckler oder Gauckelbuben / Carboniuori, in vrbibus, oppidis & pagis, in panegyricis conuentibus lucelli gratia, ludentes sæpe ostendunt atq; peragunt: Dum alii sibi ferrum in iugulum adigunt, idipsum mox ore expromunt, pectus ense transverberāt, venaticam lanceam, qua parte minantur exitium, in ima viscera condunt, manum præcidunt, transfodiunt nasum, aliaque plurima vulnera sibi inferre videntur; rursum funiculos imo gutture in longā seriē deducunt, q. glomum aliquē euoluentes & explicantes, aures mutilant ac decurtant. Ex hoc Saccülariorum siue ludionum numero is erat, quē superiorib. annis, cū versaremur apud Heluetios animi gratia & Heluetiā perlustrandi cupidi, vidimus, iste carbones deglutiens ocyus expuebat Ioachimicos, scruta deuorans mox denarios eiiciebat affatim, pro pisis glutitis reddebat nūmulos; gladios, cultros, pugiones deuorans pro singulis

gulis hastas restituebat oblongissimas. Idem rosam fragrantem & florentem lepidæ ancillulæ in manũ tradens, eam illicò in id quod de lumbis viri dependet transmutabat, hunc ancilla delusa pro re odorifera & fragrante naribus admouebat suis, qua re omnium spectantium risus effusiores ita concitabat, vt præ risu corruerent multi.

Vidimus Wirceburgi alium eiusdem humilis artis hominem, hominem supra prodigium nequitiosum, obscænum, & attritæ frontis, qui deuorato omni pudore multa edebat ludicra, in Orchestra, & post si parium, cum clam tumque palam; inter alia simili ferè modo hospitæ nostræ iuuenculæ procaci ac superbæ in diuersorio, cuius insigne est Nig. falc. pulchrè ac lepidè illudebat, pomum de mensa sublatum ipsi in sinum iniiciens, ex quo mox manu id arreptum cum commonstraret, telum asininum ponderosissimum fiebat. O sancte Iupiter! vt cachinnos resonantes reboantesque tollebamus omnes. Sed quò delabimur? dicendum est, quod sentimus.

Talia sine Dæmonum ope & artificio,

ſordidis illis ſeruulis adnitentium; effici non poſſe, ἀείδηλον eſt, maximeque ſi quid ſit à naturalium ſenſuum fide alienius; quale eſt illud de Germano quodam Necromantię ſtudioſiſſimo, qui integrum fœni plauſtrum, vna cum auriga, equisq; viſus eſt deglutire atque deuorare; amputabat etiam hominibus capita, manus, pedes, quæ pelui coram impoſita, cum ſanguine defluente, omnibus videnda præbebat. Hæc & ſimilia niſi cum ingenti ſenſuum corruptela ac deprauatione fieri non poſſunt.

Talis ludificator erat Simon Magus Magorum Princeps, is ſe quibus volebat inuiſibilem prębebat, ſaxa quaſi lutum penetrabat, in ignem proſiliens non adurebatur, ouis aut capræ formam ſæpiſſimè aſſumebat, in aerem ſublatus volitabat, ex lapidibus panes faciebat, aurum repentè plurimum exhibebat, montes ſaltitare faciebat, & vt ianuæ clauſæ ſua ſponte aperirentur, vaſaque domeſtica moueri ad vſus humanos viderentur, efficiebat.

Hic Simon cùm aliquando Selene eius Minerua & Meretricula in turri quadam

dam inclusa esset, & accurrisset ingens multitudo ad videndam eam, turrimque adstantium corona circumcinxisset, sua arte Magica fecit, vt meretricula per omnes fenestras turris omni simul populo prospicere & procumbere videretur. De Simone multa nobis scripta reliquere veteres. Iræneus *lib.1.c.10.* Euseb. *lib. 2.c. 13.* & Geor. Rudol. Widman, Scriptor nouus, & Ioan. Fausti præco. *in hist. Faust. par. 1. c. 5.*

Huius etiam malæ monetæ fuit homo quidam Bohemus, qui inter eiusmodi circulatores & Sophistas non posteriores tulisse videtur: is tanquam Thraso aliquis & gloriosus in arte Diabolica miles strenuè sese exercens, sæpius superbo & elato animo, nunc sua, nunc aliena facie, statura & persona peregrina in medium procedebat; iam in purpura & serico torquatus, auro gemmisq; onustus Regi cuidam se offerebat, & spectandum sese exhibebat, iam pannis, lumbis vix cohærentibus, obsitus, & sordidus, ac sordidatus proserpebat; ambulantibus in sicca, ipse tanquam in naui adnauigabat, adnatabatq;; aliquotiens equis rhedariis vectum, gallis gallinaceis ad epirhedium

ſuum alligatis, ſubſequebatur: Regis conuiuis inter cætera variè mireque illudere ſolebat, interdum manus accumbentium & eſurientium contractas tenebat & remorabatur, ne patinis inſerere valerent, in boum, equorum, aſinorumque vngulas eas transformabat, & fronti conuiuantium ponderoſa ac patula ceruorum cornua adfingebat, quotiens videlicet è feneſtris ad ſubita ſpectacula proſpexerant, ne rurſum capita retroagere & retrahere, oraque ad menſam referre poſſent. Et vt aliis proderet, ſe ex facili pecuniam pro re & vſu ſuo conflare poſſe, aliquando aliquot porcos ad magnitudinem vrſorum ex fœni manipulis efformabat, ementitos in pratis paſcentes venales extrudebat, quos qui magno pretio coemerant, paulo poſt pro porcis, fœnum ſtramenque in faſciculos conuolutum, habebant.

Eiusdem ſtyli præſtigioſi eſt, quod de Menippo Sponſo literarum monumentis proditum eſt: vbi aurea ſupellex & imaginarium argentum, vna cum Lamia Sponſa & reliqua familia euanuere. Philoſtrat.

lostrat. *in Vit. Apollon.* Tale etiam est illud, quod ab eodem literis traditum reperitur *lib. 3. c. 6.* Cum Apollonius cum Iarcha & aliis Brachmanis mensæ accumberet, tripodes sua sponte mouebantur, & ab æreis pincernis calices in gyrum circumferebantur, certa mensura vinum & aquam miscentes, & cyathos proferentes.

His confinia illusionum illusorum exempla recitantur à Georgio Rudolph. Widman. *in histor. Faust part. 1. c. 43.* ibi ridiculam inuenies historiam de Iohann. Theutonico. Vid. etiam Augustin. Lercheimer / aliàs Herman. Widekind / Hebrææ linguæ & Matheseos olim Profess. Heidelberg. quem fortassis sui puduit nominis, *in lib. Germanico, cui tit.* Christlich Bedencken von Zauberey. *sub fictitio nomine Lercheimer. capit. 6. 7. & 8.* Eadem portenta præstigiosa & nudè apparentia sunt, quando Magistri in arte Sathanica edocti turmas equitum & peditum, magnorumque exercituum ad terrorem hostium, ostendunt) vti ille famosus Magus è Germania ad CÆSAREM quendam euocatus, montes

equorum & curruum plenos præmonſtrans, de quo Henricus Cornel. Agripp. *lib. 5. epiſtol. Epiſt. 26.* Hanc artem, vt & cæteras Magorum nænias omnes apprimè calluerunt Iohann. Fauſtus, Chriſtoph. Wagner/ Fauſti famulus, Wiltfewer von Northauſſen / Sedechias Iudæus olim Phyſicus, & Medicus Ludouici Imperatoris, item Abbas Spanheimenſis, Antonius Morus, Iohan. Theutonicus, Ioh. Scotus, Baianus Princeps Bulgariæ, Albertus Maior, aliàs Robertus Teuffel/ Carolomanni Ducis Normanniæ filius, item Nectanebus quidam vir excelſus, ac plures alii, qui omnes fuerunt Dęmonis familiariſſimi, quorum Catalogus iam non excreſcet, quum parcimus Celſitudini.

Nunc videamus, quæ Sacra nobis ſuppeditat pagina. Duo ſunt in ſacris literis maximè controuerſa, de quibus admodum dubitatur, & titubanter à multis concluditur; Num veri, num verò apparentes tantum effectus fuerint.

Prius eſt de ſuſcitato per mulierem Pythoniſſam, hoc eſt, familiaritate Dæmonis vtentem, Samuele *lib. 1. Reg. cap. 28.*

Hoc

Hoc nos ad illusoria referimus & non ipsam Samuelis animam, sed spectrum, seu Dæmonem laruatum aduenisse concludimus. Licet Martin. Delrius cum multis aliis non infimi subsellii hominibus verorum effectuum hoc esse exemplum dicat, & quàm pluribus non adeò languidis argumentis edoceat atque demonstret, veram Samuelis animam Sauli Diaboli mancipio & Pythiæ mulierculæ Dæmonis seruulæ apparuisse in Endor existimans; factum id, ait, non pessimè! speciali Dei priuilegio, ac singulari permissione, vt impius Rex corrigeretur, & ad pœnitentiam denunciatæ mortis metu prouocaretur. Delrius *libr. 2. Disquisit. Mag. tom. 1. qu. 6.* Verùm non putamus dicendum, hîc contra suum verbum egisse Deum, qui disertè seuerissimoque mandato à mortuis quæri veritatem vetuit, etiam mortis mulcta constituta, *Leuit. 19. & 20. v. 31. & 22. Non inueniatur*, inquit Vox diuina, *in te consulens mortuos, qui hoc facit Deo suo* βδέλυγμα *est*. Consule Wierum *de præstig. Dæmon. lib. 2. c. 9. & seq.* & copiosè Lauater. *de Spectris part. 2. c. 7. & seqq.* Nicol. Rhemig. *libr. 2. Dæmonolat. capit. 1.*

Henric.Kornman.*de Mirac.mortuorum. part.2.c.1.*

Posterius est de Magis Pharaonis, qui cum Moyse miraculis decertarunt, *Exod.7. vers. 11. & 22. & capit. 8. vers. 7.* Scriptores oppidò graues actiones Magorum præstigiosas fuisse autumant. Quæ quidem sententia probabiliter defendi potest. Sed an non dicuntur Magi sic fecisse, quemadmodum Moyses? Siste! Si Magorum tantùm fuerunt apparentes, cur fraudem Moyses non detexit? an & illum in re tam graui & ardua Deus ludificari passus est? Quare probabilior nobis videtur sententia aliorum, Augustini, Caietani &c. nec à sacris literis, nec à Philosophorum scitis abhorrens; Nimirum ex veris virgis vt ex materia conuersionis veros serpentes prodiisse. Sunt enim hæc animalcula ex numero imperfectorum, quæ Diabolus breui ex putrefactis baculis potuit producere, nec id vires eius superat. Nam quod Solis calor multis diebus efficit, id Dæmon exiguo tempore applicando actiua, quæ nouit ad hoc efficaciora. Hac de re videre ne pigriteris Bodin. *Dæmonoman.lib.2. cap.6.*

capit. 6. & Sprenger. Mal. Malefic. part. 2. quæstion. 1. capit. 9. & vberius Benedict. Perer. *de Magia. lib. 1. cap. 16. & seqq.* & Oration. Panegyricam atque doctam M. Iohann. Friderici Professor. Lipsiensis, qui nobiscum, cum Lipsiæ essemus, amicè & perudite disseruit de hisce & de aliis, χάριν ἐκείνῳ γιγνώσκομεν μεγάλην. Adde si libet Wier. *de Præstig. Dæmon. lib. 2. cap. 8.* Godelman. *libr. 1. de Præstigiat. cap. 3.* Bierman. *de actionibus Mag. thes. 38.* Tob. Tandler. *Orat. de Fascin. pag. 24.* à nobis dissentientes. Sed quid moramur homunciones illos.

Verorum effectuum exempla, vt plerisque placet, sunt serpentum incantatio. Psalm. 58. *Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, ne exaudiat vocem incantantis, & veneficium incantantis sapienter.*

Ex hisce Psalmistæ verbis intelligimus, serpentes maleficorum incantamentis expositos esse, atque expositos esse eos adeò, vt etiam ad verbulum sapienter incantantis sese sistant, & in vnum coarctari, manibusq; se cōprehendi sinăt. Imò nouimus quendam, qui N N. fami-

liaris fuit, vt angelus angelo, hic quando volebat, non aliter quàm Atyr aut Vmbro quispiam, tribus à se visos serpentes verbis sistere ac remorari poterat, affixos terræ manibus auellebat, sine noxa sui attrectabat, eos insuper recondebat, & domi animi gratia à latere alebat. Testatur etiam Nicol. Remig. hominem sibi visum, qui è tota vicinitate ac confinio excitos angues in ignem Magico circulo conclusum inducebat; ac cum ex iis, qui corpori immanior erat, in illum ingredi detrectaret, coactus tamen repetito identidem carmine idem facere, ac se cum cęteris in obiectum ignem dedere & inuoluere.

Modum bestiolas illas adiurandi, domandi, sopiendi docet Agrippa *libr. 3. Occult. Philosoph.* Si cui curiosulo huiusmodi animalcula venari lubet, licet, modò ita instructus, & caueat pro vita sua, ne imparatus rem moliatur, ad sepes & ad muros exeat, tria hæc verba, OSI, OSIA, OSI, serpentibus admurmuret, admurmuratis citius cauda aures obstruere conabuntur, si exaudiuerint, statim innoxii reddentur, tractabiles, mites & mansueti.

Ita

Ita periculum fiet, an verum ſit, quod virtus & ἐνέργεια incantatorum maxima ſit in ſerpentes, ex permiſſu Dei, qui maleficorum iuſſis & euocationibus eos promptius obtemperare voluit, & ad hoc potiſſimum prædeſtinauit. Ratio argumenti obuia eſt apud Auguſtin. *lib. 11. de Geneſ. ad lit. cap. 18.* Quod Diabolus per ſerpentem in primis mulierem tentauerit, & in colloquio eius primitus naturam humanam ſeduxerit, penitusq́; corruperit. Vid. Martin. Delrium *tom. 1. Disquiſit. Mag. lib. 2. quæſt. 13.* Sed vtut ſit, æqua fere & eadem nobis eſſe videtur modernorum incantantium ſiue maleficorum, in omne & quoduis beſtiolarum genus, & maximè maxima in homines vis atque poteſtas, Deo, ingratitudine, malitia, ſuperſtitione, infidelitate, & aliis peccatis ita commerentibus, nos puniente.

Ad hanc claſſem pertinent ſigna ac prodigia quædam Pſeudoprophetarum, Matth. cap. 24. *Surgent*, inquit Dominus, *Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & prodigia.* Non vtique alia arte, quàm Magica. Talis artifex & Pſeudopropheta erat Simon Magus, de cuius admirandis geſtis & geſticu-

ſticulationibus in paulò ante commemoratis; hic inter præſtigioſa etiam vera edebat mira, & opera minimè falſa, ex quibus tantum honoris, reputationis, gloriæ & adorationis adeptus creditur, vt Romæ ipſi ſtatua cum hac inſcriptione: SIMONI DEO SANCTO, poſita fuerit. Quid? quod propter prodigia tanta in admirabilitate fuerit, vt, quemadmodum Lucas ſcribit *in Act. Apoſtol. capit. 8.* de illo dictum ſit: *Hæc eſt virtus Dei, quæ vocatur magna.* Eiusmodi prodigia Paul. *2. Theſſalonic. 2.* mendacia vocat, non quod omnia per ſe & ſua natura mendacia ſint & falſa, ſed quod fiant ad perſuadendum falſum hominibus, & ad decipiendum eosdem. Hæc qui recipiunt, mendacia, vt ait Haymon Epiſcopus, recipiunt, & Dæmonem mendaciorum patrem venerantur, ſuſpiciunt ac colunt.

Si adhuc vnum addiderimus; quomodo videlicet effectus ſinceri à falſis & fucatis dignoſci poſſint, finem quęſt. imponemus. Notandum diligẽter, quod quæcunque Dæmon reuera efficere poteſt, eadem & Magos ex pactione & fœdere

poſſe.

poſſe. Hic duæ ſunt obſeruandæ regulæ. I. Quādo effectus Magici eiusmodi ſunt, vt potentiam Dęmonis ſuperent (quales ſunt, qui ſolius Dei omnipotentię reſeruantur, vt Cœco nato viſum reſtituere, mortuos reuocare in vitā) tum effectus ſimpliciter præſtigiatorii ſunt. II. Quando non conſtat effectus ſuperare Dæmonis vires, vt res planè dubia ſit, recurrēdū eſt ad alias circūſtantias. Ratio dubii eſt; quia nec Dæmoni Deus ſemper permittit facere, q̄ poteſt; nec Dæmon ſemper vult perficere, q̄ Deo permittēte poteſt. Sed gaudet præſtigiator iugiter hominū deceptione & illuſione. Imò v. ſine Dei permiſſu ipsū prorſus nihil poſſe, vel inde manifeſtū eſt, quia nō modo non potuit, q̄ ipſi erat optatiſſ. pro libidine Iobū excarnificare. *Iob. c. 1. & 2.* ſed nec perfidum Regē mancipiū ſuū decipere, *3. Re. c. 22. v: 22.* Quid? q̄ nec in porcellos ſeſe inſinuare! *Mat. 8. v. 31.* Hinc factū exiſtimamus, vt cū Neroni homini ex omniū ſcelerū colluuione nato, nec diſcendi ingenium, nec opes, nec voluntas, nec ſtudium, nec Præceptores ex longinquis acciti deeſſent, ne quicquam tamen in Magica pro-

profecerit, nec vnquam Diabolus per illum vnicum Magiæ ſpecimen edere potuerit, ex quo Nero Magicen deteſtari & contemnere cœperit; Plinius *lib.3. nat. hiſtor. c.2.* Idq; ſingulari Dei prouidentia ac conſilio factum, ne nocentiſſimæ illi beſtię ſumma quaſi malorum accederet.

QVÆSTIO VI.

Quæ Magorum & Lamiarum poteſtas in orbes cœleſtes, ſidera & elementa?

MAgicen neque cœleſtium corporum motum ſiſtere, vel eorum ſtatos curſus retroagere poſſe, ita clarum ac teſtatum eſt, vt nihil clarius aut teſtatius. Hoc enim eſſet Naturæ ordinem mutare, vniuerſiq; leges refigere, quod vnius ac ſolius Dei præpotentiæ reſeruatur. Naturæ autem ordinem nequit mutare, niſi auctor naturæ, nec leges vniuerſi refigere, niſi qui fixit. Hinc Veterum de Lunę detractione fabula concidit, ac vti vanitatis fumus euaneſcit, non magis conſentanea rationi, quàm recens ac noſtris temporibus ridicula populi cuiusdam

iusdam opinio, arbitrantis Lunam ab asino epotam, quia pecus Arcadicum de flumine biberat, in quo noctu Lunæ facies, vt fit, lucentis reddebatur, cum biberet, eóque recedente, subita nube Luna tecta videri desiit, ideo miserum Sileni vectorem in carcerem coniecere, in eculeum egere, & aluo rescisso, vt Lunam mundo redderet, sæuissimè cultro anatomico eum exenterarunt.

Integrum elementum de suo loco naturali in alium transferre, aut partes, quibus mundus integratur, tollere, vel suo loco mouere, neque Dæmones, neque Magi possunt. Deus enim Angelis non subiecit orbem terrarum, Paul. *Hebr.* 2. Possunt tamen grauissimas tempestates & procellas in mari excitare, adiuuante ipsos Dæmone, vel aquas Maris ab imo commouendo, vel per concitatissimos ventos; & terræ motus efficere, vehementem aliquem spiritum in cauernas terræ immittendo, vel inclusum in illis vehemētissimè agitando. Sic fortassis fieri potuit, quod narrat Philostratus, de duobus doliis, quæ Apollonius apud Indos viderat, quibus apertis imbres & venti

venti erumpebant, claufis ferenitas & aëris tranquillitas redibat.

At dubium non eft, quin quod fequitur, futurum fit fupra omnium fidem, ac multis etiam fortè ridiculum. Magi poffunt per Dæmones, vt poteftates aeris, Dei præpotentis permiffu, tempeftates excitare, fulgura, tonitrua, grandines, imbresque ciere, & in agros & loca quos ac quæ volunt immittere. Probatur hoc Hiftoriis & exemplis. De Finnis & Lapponibus hunc in modum fcribit Olaus *in hift. rer. feptent. libr. 3.* Mercatoribus olim ventos venales exhibebant, tres nodos in barba Magica arte facratos offerentes, quorum foluto vno placidos ventos, altero vehementiores, tertiò vehementiffimos excitabant. Barthol. Anglicus *de Genuin. rerum proprietat.* Paulò aliter rem narrat, vid. libr. 15. capit. 172. de Winlandia. Et Ariftæus docet, incolas Cycladum certis ritibus ac hoftiis etefias æftiuo tempore elicere, & fic fuaui frigore fqualorem & fterilitatem ab agris arcere.

De Erico Suetiæ Rege, qui in arte Magica nulli fua tempeftate fecundus, &

Dęmoni-

Dæmonibus multùm familiaris, omni nisu in Magica incumbens, & cultui diabolico summoperè vacans, fama est, eum quamcunq; in partem pileolum verteret suum, ventos optatos concitasse; vnde & ventosus pileus dictus. Post illa iuuat nos Historia sacra, Iob. *cap. 1. v. 16. & 19.* vbi Satan ignem de cœlo deiicit, quo seruos Iobi absumit, excitans ventum, diruens ædificium, qua ruina filios filiasque conuiuantes & prandentes oppressit.

De pluuiis plena sunt veterum monumenta, & à recentioribus studiosè transscripta, qui volet, legat. Delrius narrat ridiculum modum & ritum procurandi pluuias Indorum Cianitarum, *libr. 2. Disquisit. Mag. q. 11. tom. 1.* Arnuphis Ægypt. Phil. qui arte Magica Dæmonumq; præstigiis in aerem sese, sæpè sublimabat, tempore M. Antonii Principis cum Romanorum exercitus aquarũ penuria diuè sitiret, imbrem cum fulgure & tonitru fragoso tempore æstiuo suscitasse fertur. Testis etiam oculatus est Henric. Cornel. Agrippa, auctor vt grauissimus, ita hic fide dignissimus, qui suis se vidisse affir-

aſſirmat oculis, hominem ſibi familiarem, arte Magica tempeſtatem dantem & tonitru mouentem. Vidi, inquit Agrippa *lib. 3. Occult. Philoſoph. c. 24.* & noui quendam inſcribentem in charta virginea nomen & ſignaculum ſpiritus cuiusdam in hora Lunæ, quam cum dediſſet poſtea deuorandam ranæ fluuiali, & carmen obmurmuraſſet quoddam, remiſſa rana in aquam, mox pluuiæ & imbres oborti ſunt. Vidi per eundem, ait, inſcriptũ alterius ſpiritus cum ſignaculo nomen, in hora Martis, idque coruo datum, quo poſt immurmuratum carmen dimiſſo, protinus ab illa cœli plaga, quam ille inuolaſſet, obortis nubibus, fulmina, concuſſiones, horribiliaque tonitrua ſequuta ſunt. En tibi! accipe teſtem omni exceptione maiorem, & αὐτόπτην.

Nec eſt, quod quis putet, Olaum verba lectoribus dare, aut fabulam narrare, *in hiſtor. gent. Septentri. lib. 3. edit. Ambergen. pag. 123.* Haquinum Noruegiæ Principem contra Danos pugnantem ponderoſis grandinis ictibus ita conuerberaſſe hoſtium vertices, vt eorum oculi veluti quibusdam nimborum ſpiculis laceſſi-

ti,

ti, pro ſpiciendiq; penitus facultate defecti, grauiorem ab elementis pugnam, quàm ab hoſte ſenſerint.

Præterea Biarmenſes Polo arctico viciniores, in Septentrion. contra potentiſſimum Regem Regnerum pugnantes, dicuntur carminibus aggreſſi cœlum, ſollicitatas nubes ad ſummam vſque violentiam nimborum impuliſſe. Et quæ vis ſit Magorum in cogendis, ligandis, ſoluendis elementis & tempeſtatibus, vt mitius vel rigidius humanum temperent ordinem, liquidò declarat Olaus exemp. Finnorum & Lapponum, qui in iſta arte probé probeq; exercitati, adeò vt perſuaſibile nobis fieri poſſit, Zoroaſtrem aliquem in damnata arte Profeſſorem in Lapponia & Winlandia extitiſſe. De Finnis, mercatoribus ventos ſecundum tres in barta nodos, aut clementiores aut inclementiores exponentibus, paulò antè diximus.

Teſtantur idem & ſententiæ noſtræ pedamenta ſubdunt ſpontaneæ ac liberæ confeſſiones, & voluntariæ aſſertiones, plus minus ducentorum Sortilegorum, qui Nicol. Remigio Duumuiro da-

nante eos, incendio crimen ſortilegii luerunt. Hi ſtatis certisque diebus ſoliti ſunt conuenire gregatim ad ripam, vel ſtagni vel riuuli alicuius, maximeque in locum, quem ſolitudo à prætereuntium oculis ſepoſitum haberet, vbi aquas virgis nigris, quibus à Dæmone ſuo erant donatæ, tantiſper diuerberabant, donec vapores fumosque abundè excitabant, quo facto, totus aer ſtatim infuſcabatur, ac tandem largos tum imbres, tum grandinem, in ea quæ volebant loca, (niſi quid forſitan obſtaret) effundebant. Scriptores exemp. vbique recenſent, nos vnicum ſaltem accenſere volumus. In ditione Treuirenſi ruſticus fuit, qui cum filiola ſua octenni in hortulo caules plantabat, filiolam collaudauit, vt nonnunq̃ fit, cum patres cum liberis, qui præcipuę ſunt eorum delitię, ludunt, quod aptè illud munus obiret; illa ſexu & ætate garrula, ſe alia nouiſſe magis ſtupenda facere gloriatur: pater quæ ea ſciſcitatur: ſecede, inquit illa, paululum, & in quam optabis horti partem ſubitò dabo imbrem; miratus ille, age ſecedam; eo ſecedente puella fodit ſcrobem, & in

eam

eam vrinam faciens, eam dimittit, quam bacillo turbidam reddit, nescio quid submurmurans: & ecce tibi subitam pluuiam de imbrib. in condictum locum. Adhæc, quis te hæc docuit? Pater attonitus quærebat; Mater respondet illa. O matrem pessimam, & Dęmonis chamæteram. Sed qd fit? Rusticus iusto zelo incitatus, post paucos dies se ad nuptias inuitatum intendens & simulans, vxorem cum lepida gnata, ambas festiuè nuptialibus vestibus exornatas, currui imponit, in vicinum oppidum deuehit, iudici vt maleficiorum crimen supplicio expient, tradit.

Hanc historiam Delrius ex τῶν ἀξιοπίστων ore acceptam literis suis mandauit, & nobis suggessit.

Prolixius vid. Nicol. Remig. *libr. 1. cap. 25. & seq. libr. 3. capit. vltim.* qui narrationes Fabrorum Mal. Malef. in Dæmonolatria sua, eorum fidem sequutus, non dubitauit exponere. Vid. Malleum Malef. *part. secund. quæstion. 1. capit. 15.* Iohan. Nider. *Formicar. capit. quarto.* Vlricum Molitorem *de Pythonicis mulieribus. cap. 7.* Bodin. *Dæmonoman. lib. 2. cap. 8.* Physiolog.

 Adolph.

Adolphi Scribonii Marpurgensis *de nat. Sag.pag.87.& seq.* Bierman.*thes.49.* Ludou. Milichium im Zauberteuffel / *cap.19.* Dę-monolog.Iacob. Sereniss. Regis Angliæ *lib.2.cap.5.* Georg. Rudolph. Widman *in histor.Faust.part.2.c.13.* M. Iohan. Phyldi-um Fridbergensem *sup. Iona. cap. 1. concion. 5.* His adde Wier. *de præst.Dæmon.libr.3.c. 16. edit.sext. & vlt.* Godelman. *de Lamiis cap.6.* & Otthon. Melandrum *in resolut. præcip.quæst.de Sag. q 7.* item Tob. Tand-lerum *in Orat.de Fascin. pag. 26.* qui sequu-tus Wierum & Godelman. à suo hac de re dissentit Biermanno.

Magi tenebras excitare possunt. Paulus Venetus in Peregrinat. Asiatic. auctor est, Tartaros adeò pollere Dęmonum præstigiis, vt tenebras terris, cum velint, suis incantamentis inducant, parumq; abfuisse, cum apud eos versaretur, quin à latronibus eo pacto, eaque arte circum-ueniretur & spoliaretur. Huic germanũ est, quod Haithonus in historia Sarmatarum scriptum reliquit, ex Tartaris ve-xillarium quendam, cum suorum aciem inclinatam & penè disiectam videret, hostem tali aeris opacitate densitateque

inuol-

inuoluiſſe ac ſic viciſſe. De Zoroaſtre tenebras hoſtibus oſtundentè, aliisq; ſtratagematis Magicis in conflictu Aſſyriorum, Aſſyrios percutiente, vid. Rudol. Widman *in hiſtor. Fauſt. part. 2. c. 11.*

Magi etiam poſſunt aerem & aquam certis in locis corrumpere, tabificam, lethalemque reddere. De aqua facilius eſt creditu; de aere probatur; quia licet aer continuò fluat, vim tamen habet imbecillam ad reſiſtendum, & leui momento frigeſcit aut caleſcit: ita enim idem in autumno manè frigidus, meridie calidus, ſero tepidus, qui tam mollis ad calorem, cur durior ad odorem tetrum? Aerem corruptum eſſe vetuſtum commemorare geſtimus exemplum, alii recentiora exquirant. Cum Maruthas Meſopotamiæ Epiſcopus legatione fungeretur apud Iſdigerdem Perſarum Regem, vt Chriſtianorum religionem odioſam magis redderent, faciebant, vt putridus ac fœtidus omnino odor exhalaret eo loco, in quo Rex & Chriſtiani conueniebant, prætendentes in Chriſtianorum contumeliam, eos auctores eſſe iſtius fœtoris: Sed re penitus cognita, maleficii rei ſup-

 plicio

plicio affecti sunt. Niceph. *lib.14. hist. Ecclesiast. c.18.*

QVÆSTIO VII.

Quæ Magorum potestas in corporis ac fortunæ bona?

NOs in hac quæst. sigillatim agemus à difficilioribus ad faciliora procedendo.

Magi greges & armenta possunt perimere, sparso, adfricato, vel aliter exhibito veneno, à quo malo, & à quibus insidiis nec homines tutos & liberos esse edocebimus. De hominibus à Magis læsis ita Peucerus *in de Diuinat. gener. tit. de incantat.* φαρμακευτὰς, (intellige Magos siue veneficos) inquit, vidimus, qui tormentis examinati, magnum recensebant eorum numerum, quos læsissent, quorum aliquos excæcarant, aliquos mutilarant, alios ῥαιβοὺς καὶ κυφοὺς, incuruos & gibbosos reddiderant. De armentis vitiatis & infectis ita refert idem ibidem. Nouimus pagos, in quibus multos annos ea, quæ ingressa fuerunt, vel egressa armenta perierant, nec fuisse pabula infecta, vel illud

illud certò indicabat, quod vicinorũ pecora eodem vſa paſtu noxii nihil cõcepiſſent. Sed faſcinum fuiſſe defoſſum ſub via publica, qua armenta agi paſtũ conſueuerant, euentus poſtea oſtendit, cum eruto & ſublato faſcino, actus mutaretur. Et vſitatum eſſe, ait, veneficis certis anni temporib. & ſtatis horis exire, herbas ad certarum vocũ pronunciationẽ euellere, colligere, aut alia ſuis artib. accommodata acquirere, ea opinione, ꝙ ex iſtis verbis eam, qua ipſis opus eſt, virtutem contrahant. Nã iis poſtea aut ad remedia vtuntur, aut ſi noxium aliquid parant cibo potuue hominũ iniectis, aut in pecorum pabula ſparſis, aut ſaltem collocatis eò cum faſcino, quâ transeundum eſt, vel aliò mirificè lædunt & perimunt etiam animantia, quę ferè talib. deguſtatis, vel ſolo halitu attractis, vel tranſitu perſtrictis aut ſuperatis, è veſtigio inficiuntur, & aut ſtatim concidunt ac moriuntur, aut lenta conſumuntur tabe.

Egregium præterea φαρμακείας ſiue veneficii exemp. habemus in facinoroſo illo carnifice perditè auaro, qui in Ducatu WÜRTENBERGENSI non procul

à Tubinga, paſcua veneno imbuiſſe fertur, quo ſibi innumera pecorum cadauera attraxit & præparauit, in queîs poſtea in loco cadaueribus excoriandis deſponſo fortem & egregium ſeſe pręſtitit carnificem, idque in rem ſuam augendam. Ex pellibus enim lucrum percipiebat maxumum, Wier. *de Præſt. Dæmon. libr. 4. c. vlt.* & Nicol. Remigius *Dæmonolat. c. 6. & 7.* qui huius argumenti & ſententiæ exempla multa annotauit, inter cætera hocce veneficii rarum addit exemplum, nec ab alio, vti ipſe ſibi perſuadet, obſeruatum. Fuxen Eugel & Catharina Haſſer ſtriges, quas vt maleficii ſocietas coniunxerat, ita etiam vna flammis ex Iudicis ſententia fuerunt abſumptæ; hæ confeſſæ fuerunt, ſępe ſibi hoc negotium à Dæmone datum fuiſſe, cum graſſaturæ veneno ſeſe in alienas ædes intromitterēt, vt deſignatos ad cædem, & ad interitum homines, collo, vel inteſtinis, quantum poſſent, comprehenderent, ac cohiberent; Tum Dæmonem præſtò adfuiſſe, putidamque caruncul am ex morticina aliqua pecude in os illis altè ingeſſiſſe, quod non aliter ac præſentiſſimum venenum

nenum illos ſtatim necaret ac extingueret. Animaduertisne? vt malus Genius hominibus ex ſeſe non modò infeſtus ſit, inſidias ſtruat, perniciem mortemque inferat, ſed & ſedulò hoc agat, vt ſuos habeat ad cædes & damna quàm propenſiſſimos, paratiſſimos, illos inſtruat, iuuet, promoueat, nequitiamque coniunctis viribus peragat, ac ſi quod moliatur, haud ſolus efficere valeat; quod qui credit, ſtultè credit, & decipitur. Quid rei igitur eſt? Credimus nos, Dæmonem ſuos in veneficiorum ſocietatem ſæpe adſciſcere, adiutoreſque operis adhibere, vt cum habeat eos ſcelerum ſocios, habeat & pœnarum, omniaque agat in perniciem hominum. Quis enim eſt, qui neſciat, eum nihil noſtræ opis & auxilii indigere? cuius tanta eſt potentia, vt maior non in terris, vt inquit Iob. *c. 41.* Poteſtati Satanæ nulla eſt, quæ adæquari aut conferri poſſit; qui ſi concedatur, nec obſtet Numen Magnum, momento in mirandam altitudinem montes excitare, eoſdemque in profundiſſimas voragines deiicere, fluuios ſiſtere, vel etiam aduerſos agere, mare ipſum (ſi credere fas eſt

Apul.*lib.1.de Asin.aur.* penitus exhaurire, cœlum deponere, terram suspendere, fontes durare, Manes sublimare, sydera extinguere, & vniuersam mundi huius seriem sursum deorsum vertere posset.

Huc gargara exemplorum apportare possemus, & adiungere non malè: sed sufficit nobis priora adiecisse. Lege Bodin. *Dæmon.lib.2.cap.4.* & Danæ. Dialog. *de Sortiar.cap.3.* Godelman. *lib.1.de venef.c.7.* Nec te euoluere pigeat eum, quem congerere ad hanc rem facientia non piguit Andream Hondorff *in Promp.exemp. magno labore & diligentia Latio donato, aucto & illustrato à Philip.Lonicero, præcept.2.pag.165. & seq.* Multa leges transcripta ex Iacob. Sprenger. *Mal. Malef* (*eundem part.2.q.1.c.14.*) ita transcripta, vt animum scribentis languore & horrore infecerint.

Id supra modum formidabile est, & deploratu dignissimum, quod maximè misellis puellis tàm baptizatis, quàm non baptizatis insidientur, quos miserè & crudeliter enecant, deuorant, & ad vsus diabolicos adhibent, in maleficiis suis iis abutentes; ita exigente & efflagitante Diabolo, qui ab initio mendax, carnifex,

&

& homicida eſt, ſanguinis humani admodum ſitiens. Nec mirum, cum genus humanum genuino, veteri & immedicabili prorſus proſequatur odio, vt malit & exoptet, totum vt peſſumeat, & pereat funditùs quàm vno momento vt tutum ac totum ſiet atque conſiſtat.

Neque noua aut inaudita iſthæc eſt in homines Satanæ laniena & crudelitas, ſed habent veterum hiſtoriæ, tum ſacræ, tum prophanæ, plura de ea re documēta. Familia Iob vt miſerè ruina oppreſſa? Saræ Raguelis filiæ ſponſi VII. an non miſerrimè, derepentè & ſeriatim interempti? *Tob.c.3.v.8.&9.* à carnifice interempti, quē Sac. literæ clamāt leonis famelici & rugientis inſtar obambulare, curſitare atq; oberrare, nulla non terrarum loca, dū oſtendat, in quem virus ſuū effundat. De ſæuo & im̄ani hoc Dæmone Leu. Lem. ita ſcribit; eū latenter ſeſe im̄iſcere alimentis, humorib. ſpiritib. auræ & aeri, quē intra corpus cōcipimus, quo ſpiramus, multaq; alia, q̄ nobis vſui ſunt, & valetudinē conſeruāt, deprauare & vitiare. Marc. apud *Pſellū*, Dæmonē, ait, ſæpè igni ac præcipitio homines perdere, imò na-
uigia

uigia viris onusta vndis obruere ac funditus submergere. Porrò quem latet, Dæmones cultores suos omni ętate ad fundendum sanguinem sollicitasse, & cædibus humanis contaminasse, & ad immolandos homines impulisse? Psalm. 105. v. 37. & 38. *Immolauerunt filios suos & filias suas Dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentem filiorum & filiarum, sacrificantes sculptilibus Canaan.* Psalmista ait: filiorum & filiarum sanguinem effuderunt, id est, sanguinem effuderunt proprium, non alienum & peregrinum, quod eò est horribilius & execrabilius. Quis enim proprio sanguini, aut ex eo natis, non parceret? Ex lib. 4. Reg. *c. 23. v. 10.* & Ierem. *32. v. 35.* Leuit. *18. v. 21.* aliisque locis script. sac. colligi potest, quod idolo Moloch puerulos immolauerint (quæ immanitas sacrificandi etiam populo Dei, *Ier. d. loc. & Act. 7. v. 43.* exprobratur) eos supposito igne torrebant, comburebant, Diabolo quasi assum frustum litantes, qui eo carnis nidore plurimùm afficitur, & libenter nutritur. Ad eundem modum, inquit Elias Leuita, fiebant Teraphim imagines futura annunciantes: Mactabant hominem

nem primogenitum, cuius caput torquendo auellebant, auulſum ſale & aromatibus condiebant, ſcribebantque ſuper laminam auream nomen Spiritus mundi, quam capiti ſupponebant, incenſis dein candelis coram illo adorantes, cum hisce loquutus fuit Laban.

Haud minora facinora facinoroſi fraterculi Neapolitani deſignaſſe videntur, de quibus ex Iohan. Gennadio, Richard. Argentinus Anglus *de Dæmon. præſtig. c. 6.* hanc flebilem abominandamq; crudelitatis adſcribit hiſtoriam. Tempore Ludouici Bauari Imperatoris in contẽptum religionis Chriſtianæ, fratres Neapolitani, diſſidentib. Papis, flagitioſam quandam, ſimul & turpiſſimam excogitabant ſectam. Nam conuenientib. in antris lociſq; abditis, quos in eam turpitudinem allexerant, viris atq; fœminis, Sacerdotes, qui inter ipſos habebantur, vt crimen honeſtate prætexerent, diuinas laudes Chriſtiano more præcipiebant, quibus intempeſta nocte peractis, Sacerdos pro concione quædam præfatus, ad confirmandos in nefario errore animos, in eo maximè erat occupatus, ſuis inclaman-

mando, colendam esse ante omnia caritatem. Esse enim eam omnium virtutum quasi caput, testib. sacris elogiis, & eandẽ potissimum inter homines, auctore Deo, conciliari, & à Spiritu sancto foueri, si vtriusque sexus, masculus & fœmina venereo complexu libenter iungerent, & libidinem explerent mutuam. His commoti & instigati viri fortiter ac tauricè lasciuientes fœminas subagitabant, extinctis candelis rem fœdissimam peragentes, qua peracta, se sacra, si sacra dicenda sunt, peregisse dicebant; docentes etiam publice, plus quam impie: Non hoc esse Christi Testamentum, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*: sed τὸ *Crescite & multiplicamini, & replete terrã.*

Ex nefario verò isto congressu si quæ conceperat, deportari ad se partũ Sacerdotes iubebant, isti dein solemniter & pomposè in loco sacrificiis dicato conuenientes, infantulũ subiectum igni in cineres adigebant, quos vrna exceptos ceu rem sacram reponebãt, vt si quis in eorũ numerũ cooptandus cinerib. cũ vino epotis initiaretur. Cæterũ defuncto eorũ Pontifice maximo, vt omnis abesse videretur

retur inuidia, & res nō humano, sed diuino consilio agi, in demortui locum surrogandi aliū modū seruabant, ex illo flagitioso coitu susceptū infantē, ad locum scelerib. destinatū iussa mater haud inuita deportabat, deportatū cōpressis manib. mordicus tenebāt, in orbē ac gyrum trahentes, vsq; efflaret animulam in pub. cœtu. Hæc gesta sunt sub Ægydio Episc. Rom. apud Neapolim, & à nobis ideò recitantur, vt intelligamus Diabolū humani generis hostem esse acerrimum & truculentissimum, qui omni ętate flagrātissimo odio nos prosequutus, mactationes hominū studiosissimè efflagitauit, cū cædib & sanguine impensius delectetur & gaudeat; tū quia illudere vult filio Dei, qui carne humana indutus obtulit sese Deo Patri pro peccatis nostris. Sed ne obliuiscamur, quæ cum primis dicta volumus, Iuliani Imperatoris scelera, ac Magica sacrificia, admodum horribilia, is postquam Christum abnegasset, & Dęmoniacis vacasset rebus, crudelissimo animo eū Magica tractasse, animaduersum est. Nā eo defūcto, corpora & capita multa interfectorū hominū in cistis & puteis,

locisq;

locisque ſecretioribus Imperatoriæ Aulæ Antiochienſis inuenta fuerunt, quos ſua manu mactarat, & propriis digitis lacerarat ad vſus diabolicos. Niceph. *libr. 10. Eccleſiaſt. hiſt. c. 36.* Socrat. *lib. 6. hiſtor. tripartit. c. vlt.* Richard. *de præſt. Dæmon. c. 16.* Similia ſunt & deteſtanda magis, quæ contigiſſe audiuimus patrum noſtrorum memoria, in Huketan ſiue Noua Hiſpania, vbi in populoſa & ampla Ciuitate Temixtitan Diis ſuis annuatim vltra 20000. puellorum, puellarumq́; corda ſacrificare ſoliti fuerunt. Laurentius Surius *ex Archiuis Carol. Cæſar.* inter alia etiam recenſet, dictu & cogitatu, quod ęque eſt horrendum, 1000. homines, vno plerumque die, idolis fuiſſe immolatos in Ciuitate Mexicana; Quæ nunc per gratiam Dei disiecta & exturbata ſunt, Dæmoniisq́; ſilentium impoſitum, vt credamus nullibi hodiè eiusmodi mactationes in vſu eſſe, & in Orcheſtra fieri. Fuerunt tamen & adhuc ſunt, vt vſitatæ ſtrigibus, aliisq́ue ſordibus Satanicis inquinatis, ita gratiſſimæ, quibus ad ſuam & ad Satanæ libidinem, violentas manus crudeliſſimè ſanguine innocenti cruentatas contami-

nant;

nant; Nicol. Iaquerius *in flagel. hæret fascinar. cap. 15.* testatur, sua ætate in Galliis deprehensum fuisse Cacomagum, eumque Baronem, qui clam & furtim iugularat, ac diabolico prorsus animo suis vnguibus discerpserat X X. puerulos in hoc, vt ex sanguine cæsorum librum quendam in obsequium Dęmonum conscriberet, in scelere deprehensum publicè pœnam tanto scelere dignam; scelus illud persoluit.

Sed eo illi scelere non soli cruentati & contaminati reperiuntur, vide quid narret Spreng. *in Mal. Malef.* in Diœcesi Basiliensi, in oppido Dan, obstetricem & veneficam, ait, fuisse flammis absūmptã, & in cineres redactam, quod inter alia facinora, vltra 40. infantulos recentes ex vtero prodeuntes, acu clam per verticem cerebello immissa, iuxta spontaneam eius confessionem, eneçarat, Dęmoniorumque principi litarat; digna profectò, quę vna cum altera, quæ in Argentinensi Diœcesi deprehẽsa, ęternis flammis destinanda veniat. Sic hodiernæ striges & veneficæ quàmplurimos solent interimere infantulos, ad miscenda parandaq;

G vene-

venena, & ad damna inferenda rebus nostris: cuius generis esse potest exemplum oblatum Nicol. Remigio; Molitori erat infans anniculus, præcipuæ eius delitiæ, hunc tres Lamiæ cunis detractum in ardentem deponebant rogum, quem ipsæ ea causa in perarduo monte extruxerant, exusti cineres studiosè colligebant, tum rore, ex segetum aristis graminumque summis herbis, excusso perfundebant, atq; massam vbique friabilem concinnabant, adspergendis sc. vitibus, satis atq; arboribus, quo statim læso flore, perirent, fructibusq; suis deficerent. Aliæ sunt, quę deuorant infantes, omnes omnis crudelitatis transgredientes terminos, cum in eam sęuiant ætatē, quæ etiam feras mites interdum inueniat; corda eorum eximunt, in cibum peculiarem diabolicis ritib. consecratum, quib. deglutitis & absorptis, tum quando in manus Magistratus & torquentium deueniant, veritatem se fateri & effari nō posse, stultissimè à Dæmone persuasæ ex animo credunt. Hæc & similia documēta luculentissima sunt, ex quib. discimus, q̄ Diabolus tam mirus & auarus sit mortis & in-

& interitus desiderator, quàm est Deus vitæ & essentię amator. Hæc verò immanitas cœpisse nobis videtur à Simone Mago, vt narrat Clemens *de reb. gestis Petri.* qui perperàm intellexerat illud Ioh. c. 6. *Nisi comederitis carnem Filii hominis, & biberitis ipsius sanguinē, nō habetis vitā in vobis.*

Sed pluribus hæc persequi, planè iam nostri non est instituti; satis est nobis carptim hæc lectori ꝓposuisse, & leuiter adumbrasse, fusiùs de hisce dicendū erit in libello nostro, cui tit. fecimus NEGOTIVM DÆMONIACVM; vbi causa monstranda, quare Diabolus infantib. sacrosancti baptismi charactere nondum insignitis præ cæteris insidietur, eosq; infestet, maleficarum vtens opera; & quam ob rem Maleficis, inter animantia, hominum semper sit præcipua cædes; atq; inter homines infantium, eorumq;, quos ętatis innocentia atq; integritas maximè commendat, longè gratissima: & remedia siue amuleta contra Satanicas insidias & impetus commonstranda, communicanda erunt; quibus suos pii parentes pios præmuniant filiolos; Hos interim Dei custodiæ & pręsidio tradant & com-

mendent, quo destituti periclitabuntur, quo stipati, ne hilum Dęmon cum vniuersis suis organis ipsis nocebit. Plura & innumera exempla ex elogiis Sagarum petita lectu admodum horrenda, legenda sunt apud Nicol. Remig. *lib. 2. Dæmonolat. cap. 8.* & Rudolph. Widman. *in Hist: Faust. part. 1. c. 42.*

Solent etiam Lamiæ nonnunquam vel solo afflatu, vel visu instar Basilisci mortem hominibus inferre, vt illa Diaboli seruula, de qua Sprenger. & Caspar Goltwurm *de Mirac. Diabolic. part. vlt.* iam super lignorum struem ligata, quę in carnificis vultum sufflauit, ex quo carnifex protinus extinctus conciderat; pari modo & alterum ad se venientem repulit. Tertius alienis periculis cautior, cum diligentius sibi caueret, sic tamen eius halitu fuit læsus, vt postquam tota ipsius facies intumuisset, hinc etiam luminibus orbatus in eum incideret morbum, qui vitam illi non multò post cruciabiliter abrumperet: Vel VISV, vt populi illi veneficiis non leuiter imbuti, in Triballis & Illyriis, visu interimentes eos in primis, in quos iratos suos conuertunt vultus.

tus. Eiusdem potentiæ & generis ſunt Vitiæ (aliis Bithiæ) fœminæ Scythicæ. Nec expers veneficii huius fuit famoſiſſima illa venefica & faſcinatrix Eriphia, quæ animal aliquod inſpiciens præſens ei per adſpectum adferebat venenum & malum ineuitabile, vnde adagium ortum, Anus Eriphus, in mulierem excantatricem. Vid. Eraſ. *in Chiliad. 2. cent. 8.*

Sunt quæ lædunt leui contactu manuum, & tum toxicum & vnguen ſub vnguinibus plerumque occultant, & clam adfricant; vel virgularum, quas medicatas, vel etiam vnguine, aut re quapiam alia perniciali illitas ſæpius geſtant, per occaſionem abigendi pecoris, his ceu ioco ſæpè obuios feriunt homines, quos perditos volunt, tum etiam pecudes, nec quidem irrito & innoxio tactu, vt nobis teſtatum reliquerunt ſtriges quàmplurimæ, plurimis in locis capitis damnatæ, ex quarum numero ſunt, quæ in Amæneburgenſium iam ante aliquot annos diœceſi, & quæ apud Fritzlarienſes incineratę fuerunt. Talem à ſe Patauii viſam ſcribit Cardanus, quæ puerulum enecabat illicò, dum leuiter ferula illius dorſum contingeret.

Aliæ lædunt vnius atque alterius verbuli prolatione. Bodinus à se visam esse sagam ait, quæ vnico verbo homines è vita tollebat. Quo a. pacto id fiet? reconditam quandã administri Dæmonis operã in hoc agnoscamus subtilitatẽ suã interponentis, is quicquid sic prodigiosè Lamiæ efficiunt, illud totũ sibi Dæmon vi aliqua occulta asserit. Aliæ perniciem & necẽ inferunt laudando: & hoc Dæmonis interuentu & latenti ministerio fieri verũ est. Huc pertinet, q. Gell. *lib. 9. noct. Attic. c. 4.* scripto prodidit, quodq; in Plinio *Nat. hist. lib. 7. cap. 2.* Wier. *libr. 3. de Præstig. Dæmon. cap. 35.* & Baptist. Porta *Mag. nat. lib. 8. cap. 14.* Solin. *cap. 6.* & aliis, de quibusdam in Africa familiis voce & lingua effascinantibus legitur; quæ si impensius fortè laudauerint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes venustiores, egregios equos, pecudes pastu ac cultu opimas, emoriantur repentè. Plin. & post hunc Wierus, & Ananias *de Nat. Dæm.* hanc ipsis ingenitam proprietatẽ esse cõtendunt, qualis erat in gemellis, de quib. Albert. *lib. 3. de Mot. animal.* quorũ alteri latus erat, tactui cuius claustra & portę

patę-

patebant omnes, alterius è diuerſo repentè claudebat, quæ aperiebantur. Sed falluntur, cum non animaduertant effaſcinationes iſtas arcano & latēti Dęmonis interuentu & opera perfici. Æqualem n. & eandem ferè effaſcinãdi energian noſtris etiam mulierculis Dæmonis pediſſequis ineſſe, experientia edocet, & multa eorũ, qui faſcino perierũt, teſtant' exẽpla.

Poſſunt ẽt mala arte corporib. hominum occultè indere & ſubtiliter ingerere ac intrudere teſtas, carbones, ſtuparum ac capillorũ glomos, ſcruta, vitrorũ fragmenta, gladiorũ, cultrorumq; mucrones, lacertorum ac bufonum exuuias, atq; alias id genus quiſquilias, quas poſtea homines inter maximos cruciatus, aut per vomitũ eiiciunt, aut ſæpè ẽt facto vulnere expellunt & eximũt, aut niſi eximant, miſerabiliter ex iis pereũt. Hæc tanq̃ noua, inaudita ac incredibilia multis videri certum eſt, licet veterib. etiam cognita & probata fuerint, quod vel illud Ouidii indicat, ſic de Medea canentis.

Et miſerum tenues in iecur vrget acus. (**Klein Sie (die Zaubrin) kan die Nadeln groß vnnd Tieff zaubern in die Leber hinein.**)

Sed conſiderent increduli iſti, cum natura hęc & ſimilia, ſiue ingenerata, ſiue immiſſa ſua ſponte proferat, nihil extra cancellos, quos ipſa ſibi circumdedit, euagata, quid Dæmones facturi ſint, præſertim vbi ſe ad explendam, quæ illis innata atque inſita eſt, nocendi libidinem ſe totos parant ac deuouent, quorum ope & auxilio ſtriges vtentes illa operantur. In confeſſo eſt, quod multa naturæ vitio in homine gignantur, vt lumbrici in ventriculo, calculi in renibus, lapilli in articulis, in lotio venereo morbi infectorum beſtiolæ formicis ſimiles. Lemnius vir eruditiſſimus *in de Occult. natur. mirac.* à ſe obſeruatum ſcribit, quod ex ſordidis & fœdis vlceribus ac vomicis, vnguium, pilorum, teſtarum, oſſiculorum, lapidum fragmenta ſæpè exempta ac eruta fuerint. Non pauca huius materiæ & propria & certa apportare poſſemus documenta. Sed cum animum ad alia adiecerimus, ſtylum cohibebimus, ac calamum truncabimus, diligens Lector ea petet ex Dæmonolatria Remig. qui acutè & ingenioſè rem præſentem tractat *lib. 3. c. 1.* & Ananiam *de Nat. Dæmon. lib. 4.*

pag.

pag.193. Pet.Binsfeld. *Commentar. tit. C. de Malef. & Math. quæst.7.* Adolph.Scribon. *de Nat. sag. pag. 48. & seq.* Reinhard. Lutz Erytropolitanum *in tract. Rerum olim nouarum.* de strigibus Anno 1570. Schledstadii Vulcano oblatis, & Iacob. **Vallick Von Hexen vnd Vnholden.** *cap.4.* Rudol. Widman *in hist. Faust. part. 1. c. 42.* in consilium adhibeat.

Vnicum non malè subnectere, sine molestia, amamus, quod suppeditat Langius vir Medicus, cuius laudata est auctoritas *in Epist. Medicinal. Epist. 42.* Oppidum est, inquit, in Germania, **Wirich** lingua patria vocant, in eo agricolam quendam latentes & occulti quidam corporis dolores sic diuexabant, vt præ impatientia ipse sibi sua manu iugulum feriret. Nam & de viui interiore cute, clauus ferreus, ante detractus, non sine maximo eius cruciatu fuerat. Medici igitur cupidi perspiciendę cognoscendæque tam insolentis morbi causæ, mortui viscera per vulnus patefecerunt, in iis, præsentibus omnibus qui adesse voluerunt oppidanis, repertum bacillum. IV. è chalybe cultelli, ferramenta alia duo,

& lanuguinis ac capillorum pila ſatis magna. Quandoquidem igitur hæc, placet loqui cum Remigio, ſic ſenſib. veri nunciis participantur, abſurdè & pertinaciter facere videntur ἀπιςοῦντες, qui rei difficultatem pro mendacio recipiunt, quaſi quod inauditum ſit, aut difficile, illud illicò ἀδύνατον κ̀ ἀμήχανον habendum ſit, ac non potiùs conueniat, vnumquodq; ex ſe atq; vti re ipſa eſt cenſere, quàm per affectatam incredulitatem in dubium incertumque adducere.

Noſſe & poſſe Magi eſt, ſed factum credere noſtrum eſt.

Poſſunt inſuper vicinorum vaccas lacte priuare, id ſupprimendo, exiccando, transferendo, ſupprimunt data herbula aliqua inter paſtum, quæ naturaliter lactis fluxum ſiſtere poteſt. Factu illud vetulis iſtis eſt facillimũ, vt quę vires herbarum & radicum ſæpè melius & exactius nouerint, quàm Med. Doctores. Res etiam vel ob id fidem meretur, quoniam nonnunquam lactis fluxus ex aliqua infirmitate impeditur; interdum etiam à natura, vt poſt conceptum fœtum, vt in fœmina ſanguis menſtruus, ita lac in vacca. Natura igitur cum poſſit, quo minus

minus ſaga poſſit, non videmus. Atque vt in vacca lac minuunt, diducunt, ita & in mulieribus, limini ædium ſubiicientes herbulas, quas ipſæ conquirunt, aut à Dæmone donatas habent. Sic legimus, Lamiam natura vitioſam & valdè deprauatam, vicini ſui ædium limini acceptam à Dæmone herbulam ſubdidiſſe, quod poſtea, vt vxor domina ædium eſt ſupergreſſa, prorſus ei lac omne in mammis exaruit, ex qua penuria poſtmodum infans, quem tum lactabat, interiit, quod peſſima ſaga maximè in votis habebat & enixè volebat. Aliæ eiusdem malæ nationis mulierculæ lac ſuffurari ſolent, vnde cognominantur German. noſt. **Molckenzaubrin oder Milchdiebin.** Talis Auguſtę Treuirorum Vulcano ſolemniter cõſecrata fuit, quæ in domus ſuæ pariete, impacto epiſtomio, lac omne alienum vaccarum vicinarum eliciebat: Dæmon interim lac emulgebat, ac celerrimè trãsportabat. Sunt quædã in Germania, quæ è iuncis, cultris, ſecuribus, frameis, parietibus aut columnis infixis, lac emulgent, his vt illi Treuirenſi Dæmon lac aſportat & affundit, idque adeò

subti-

ſubtiliter, vt putent deluſæ ac dementatæ Lamiæ, ſe ex rebus illis raris, aridis & exuccis emulgere. De lacte furtiuo vide Libell. German. Dn. Iacob. L. Baronis in **Lichtenberg.** cui tit. **Hexenbüchlein/ von den vornehmsten Puncten der Zauberey.** *De præcipuis maleficii articulis. pag. 37.* & Spreng. *Mal. Malef. part. 2. quæst. 1. c. 14.* Item Ludouic. Milichium **im Zauberteuffel**/ *Dæmone Magico. c. 20.* Lacte nunc probè madidi, ad fruges nos conferamus. Sed hem! ouorum non obliuiſcamur.

Poſſunt etiam parere & ponere oua. Nouimus nos & vidimus ruſticã de gente Strigum, quæ ſingulis diebus, ſi modò lubebat, pariebat oua, nidulo incubans, quem ex ſtramine & iuncis confectum in modum nidulorum gallinis noſtris, quos ſubdimus, in camera ſua ſepoſitum habebat, ita κοκκύζειν, vt ſolent gallinæ parturientes, poſt ſurgens de nido, ſua colligebat oua, ſed vltra IX. nunquam. Num è poſterioribus eius delapſa fuerint, ignoramus; crediderimus, ſi eadem prius acerrimo aceto per triduum macerata, ab ea abſorpta; verùm putandum, quod mediante præſtigiatore tartareo aliundè allata

lata & supposita fuerint. Hoc de ouis, à nemine, quod scimus, prius fuit obseruatum, quia rarum, & non nisi pinguioribus quibusdam Sagis concessum.

Nunc de frugibus. Magicarum artium periti possunt fructus prouentusque alienos pellicere, & aliò traducere, vt narrant multi; nec mirum! cum id solo motu locali perficiatur à Dæmone. Non alienum à ratione autumamus esse, si dicamus hoc Dardani Magi vetustum esse inuentum; siquidem Scriptores censent, à Dardano vocatos Dardanarios, annonæ flagellatores, quod vel crediti, vel insimulati Magicis artibus alienos aceruos in sua horrea traducere; & vetustum esse libenter fatemur; meminit enim eius Virg. Eclog. 8.

Atque satas aliò vidi traducere messes.

Lege quoque XII. Tab. pœnam in veneficos & frugum excantatores esse constitutam, legimus. Sic illa:

Qui fruges excantassit, pœnas dato.

Et:

Ne alienam segetem pellexeris excantando.
Ne incantanto, ne agrum defruganto.

Meminit etiam huius incantamenti Plin.

Plin.lib.17.cap.25.& alibi narrat id accidiſſe in agro Marrucino. Hac in arte diabolica excelluerunt Stadlinus & Hoppo Germaniæ Magi, de quibus Spreng. *in Mal.malef.*

Facilius ipſis erit, quaslibet fruges terræque fructus perdere, & agris ſterilitatem inducere, quando malo carmine Dæmonem accerſunt, ille fruges & anni prouentum mox perdit, aut variarum ſpecierum beſtiolas in ſata immittit, quæ ea momento populentur ac abſumant; hoc teſtatum ac clarum faciunt exempla congeſta à plurimis plurima. Varro *lib. 3. de Faſcin. cap. 1.* Binsfeld. Remig. & aliis. Fatebatur Alexia Violæa venefica, ſe ſolitam in aerem minutũ puluiſculũ ſpargere, in eũ vſum à Dæmone ſuo Magiſtello ſibi conceſſum, vt erucæ, bruchi, locuſtæ, gurguliones, mures, ratti & ſimiles peſtes ſatorũ adeò denſæ naſcerentur, vt iis agri illicò vndiquaq; contaminarentur. Et aliæ innumeræ eiusdẽ farinæ ſtriges memorant, ſe ſimili facto ingentem murium copiam non ſemel in agris excitaſſe, qui illicò in terram ſeſe abderent, corrodendis ortarum frugum germi-

germinibus. Remig. *lib. 1. Dæmonolat. c. 21.* Beſtiolas tales non ſolum ruri ad perdendas ſegetes immittere poſſunt, ſed & vrbibus procurare, & certis ædibus importare, ad diuexandos & exagitandos homines, quemadmodum venefica illa in oppido Kirchoffen vno diſtanti milliari à Friburgo Briſcaudiæ exuſta, quod cum haberet legitimum maritum, ſurreptitio tamen turpi ac fœdo amore capta, 18. an. actum carnalem cum Diabolo tanquam marito exercuiſſet, inter alia crimina libenter confeſſa eſt, ſe per riualem ſuum aliquot modios pulicum comportaſſe, & ædibus Friburgi immiſiſſe.

Magi & Lamiæ poſſunt igne domos ꝑdere, hoc loco, quoniã incidimus in ſermonẽ, qui exuſtiones cõtinet à Dæmone ꝑ Magos immiſſas, iuuat & hac de re exempla pauca adiungere, ex quib. magis rei veritas eluceſcat, licet haud credamus hic ἀπιστοῦντας reperiri, cum ſciamus & habeamus etiam hac tempeſtate homines, nulla arte Magica imbutos, excitandorum incẽdiorum peritiſſimos. Ex multis vnum ſit, quod recitat Nicol. Remig.

lib.

lib.2.Dæmonolat.cap.13. Ex Epiſtol. famil. Eraſm. Roterod. de oppido in Heluetia, nomine Schiltach/ quod à Saga concrematum fuit, qua cum Dæmon ſpurcus amator 14.an. conſuetudinem habuerat, hanc ipſe cum ſuſtuliſſet in aerem, impoſuit eam fumarii faſtigio, tradens ei ollã, iuſſit vt inuerteret, inuertit, intra horam totum oppidum ſic incendit, vt nulla aqua extinguendæ flammæ ſatis eſſe poſſet, quin totum exuſtum & incendio conſumptum. Huic affinia vid. *citat. loc.* quæ auctor ex iudiciariis confeſſionibus Sagarum obſeruauit, & Gilbert.*cognat. in Sylua* narrat.*lib.8.pag.563.*

Poſſunt alterius famæ nocere multis modis, dæmoniacis præſtigiis, vt Cenomanenſis ille Triſcalinus, qui dixit, Parochum geſtare ſub brachio chartarum luſoriarum manipulum, pro breuiario, quod & ipſi parocho perſuadens, fecit, vt rubore & pudore ſuffuſus, libellum abiiceret, Bodin.*lib.3.Dæmonom.c.3.*

Famam alterius denigrare poſſunt, peccata occulta reuelando, vt ſolent Energumeni, vel falsò inſimulando. Exemp.*vid. in Chron.* Sigisbert. & Vincent.

Spec.

Spec. histor. lib. 25. c. 37. Domestica, præsentia, & recentiora adferre possemus, sed sunt odiosa.

Possunt exhibere conuiuia vel phantastica planè, qualia arbitramur fuisse Pasetis apud Suidam, de quo sup. *quæst. 5.* Hoc modo superioribus annis conuiuium præmonstrabat Scotus, ex cuius epulis saturiet sibi visi conuiuæ, mox fame vera cruciabantur. Similia multa exhibuit, instruxit & instituit Iohan. Faustus: Vel exhibere cõuiuia ex cibis veris; quos cum Dæmon præbet Sagis, in nocturnis comessationibus, vtplurimùm sunt ex morticinarum pecudum carnibus, rebusque aliis, quas homines habent pro derelictis, suntque adeò mali gustus, odoris tetri, vt vix sint vescendo: similes vt habeant labra lactucas. Nonnunquam tamen spurcus conuiuator Dæmon suaues ac liberales cibos apponit surreptitios & alibi ablatos, sicut & potum è vasis vinariis, vid. L. Baron. de **Lichtenberg im Hexenbüchlein.** *pag. 15.* Sed rarissimè. Diuina enim iustitia raró id permittit, ne gumiis hæc sit ad inescandum efficax illecebra. Sal vtplurimùm deest, sæpè panis

nis, quare desint, ignoramus. Attamen non dubitamus, si Deus sinat & ipse velit, posse eum salem & panem, atq; adeò delicatos, exquisitos & electiles cibos apponere & suppeditare, vt non rarò suppeditauit excellentibus suis cultoribus, quos ipsi verbulo prolato in promptu habent. Ita Iohann. Faustus, Christophor. Wagner, Iohan. Theutonicus, Tritheim. Abbas, & Herolftus quidam Abbas, Anton. Morus sępissimè soliti fuerunt cum Dæmone accumbere, genialiter viuere, cœnasque dapsiles celebrare. Vid. Rudolph. Widman. *in Hist. Faust. part. 1. c. 13. & alibi.*

Deo conniuente & permittente possunt captiuos carceribus & vinculis eripere, liberare & transferre. Nec mirum! cum id sola disruptione fiat. Huius rei narratio extat de Lupoldo Duce Austriæ, lectu dignissima in Chron. Hirsaug. Tritheimii, & in Widm. *Hist. Faust. part. 2. c. 12.*

Nec dubitamus, posse Magos per artẽ seu potius κακοτεχνίαν Magices (Dei permissu, cuius in manu est victoria) in prælijs victoriam largiri, aut etiam reportare,

quam

quam arte Magica instructi sæpè reportarunt, & vrbes obsidione liberare, & expugnādas præbere. Legimus in historiographis Ollerũ arte Magica apud Suecos adeò clarũ euasisse, vt diuinitatis opinionẽ assequutus fuerit. Et Zoroastrẽ artibus Magicis stipatũ, in præliis semper victorem extitisse, vt inde solium apud Bactrianos conscenderit, & in Regem electus fuerit. Saxo Grammat. de Oddone Danico pirata *lib. 5.* in hunc modum scribit: Oddo absque carina altum perterrans, hostilia sæpè nauigia concitatis carmine procellis euertit, negotiatoribus infestus, clemens agrestibus; inito cum Normannis conflictu, ita vi carminum hostium hebetauit aspectum, vt districtos Danorum enses eminus iacere radios putarent, cominus verò ne ferrum quidem vagina extractum visu excipere possent, victa quippe fulgore acies, pręstigiosæ coruscationis impatiens erat. His consimilia sunt quæ narrantur ab Olao, de Haquino Noruego, & Biarmensib. Huc refer historiam de signifero in vexilli cuspide formidabile gestante caput, idque ad fumum ac nebulam

quatiente; ex quo innumeri ſuſi Poloni. Legimus etiam Nectanebum Regem & Magum certo modo & magico artificio cereas confeciſſe imagunculas, quas cum ipſe poſtea immergeret aquis, certa præfatione adhibita, hoſtium naues in mari ſimiliter merſas & periclitatas, Agrippa *libr. 2. Occult. Philoſoph. cap. 49.* & Widman. *in hiſt. Fauſt. part. 2. c. 15.*

Cęterum dubium nobis nullum eſt, poſſe fieri illicitis artibus, vt Magi ad ſumma euehantur faſtigia. Mirum eſt, quot & quanti producantur Pontifices, qui malis artibus ad Apoſtolicum culminis apicem aſcendiſſe feruntur. Vid. Platin. Naucler. Balæum, & lege eos cum iudicio ac pio piæ mentis affectu. Talia enim & tanta ſunt monſtroſaque eorum de multis mendacia, vt nobis ea hic recenſere ſit religio.

Quod de dignitate & honorum amplitudine, idem eſt nobis iudicium de diuitiis & theſauris, quos arte Satanica Magos conquirere poſſe, in confeſſo eſt. Aſt non niſi rariſſimè. Et licet Dęmones defoſſorum ſint cuſtodes theſaurorum, & diuitias in mari ſubmerſas aſſeruent,

auri, argenti fodinas teneant, vnionum & gemmarum latibulis præsint, ex quibus, quæ vellent, sumere possent. Quid? quod longè astutius ac subtilius ex scriniis & sacciperiis, quàm quis mortalium nummos subducere possent; id crumenisecis & furunculis factu cum sit facilè, cur Dæmonibus subdifficile? Ipsi tamen nihil vnquam eorum depromunt, quò aliquam liberalitatem & magnificentiam erga suos comprobent & declarent, quam sæpè vanè & mendaciter apud suos iactant. Idque parsimoniæ, aut rei retinendæ, cuius alioquin nihil indigent, studio ab eis fieri, stultum est credere. Sed potiùs, ita esse mortalibus immensa Dei bonitate ac prouidentia consultum, ne si veras illi elargirentur opes, nullius iam tuta esset à tantis illecebris integritas, semelque comparatæ, ad omnem nequitiam flagitiumq; materiam suppeditarent, vt Thales ait, illas φάρμακα ἔχειν εἰς κακίαν μύρια. Hinc fit, vt Lamiæ nunquam veros à Martinellis capiant nummulos: sed si ipsis pecunias conferunt, pecuniæ non sunt, nisi secundum apparentiam, quæ postmodum sublatis præ-

ſtigiis, fimus, limus, teſtæ, folia, ſcruta, ſtercora, & aliæ id genus quisquiliæ eſſe reperiuntur, vt teſtantur ipſæ Striges. De fraude hac malorum Geniorum conqueri videtur Pſellus *libr. de Dæmonibus*. Dæmonia, inquiens, nobis diuitias promittunt; nihil tamẽ ex ſe tradere poſſunt, ſed viſu tm̃ quædam inania & inſtabilia ſuis cultorib. offerunt, id ſi Pſell. de eo, ꝙ facere Dæmones ſolent, intelligit, verũ loquitur. ſi de eo ꝙ poſſunt falſum & mendax. Imo Dæmones pro libidine homines ditare ſi poſſent, quem mortalium ſibi non adſtrictũ & obſtrictũ redderent: hac noſtra pręſertim tẽpeſtate, vbi auaritia miris modis dominatur, quis ipſis non obtemperaret? obſecundaret? Nouimus nos iuuenes quosdam, nobiles & ignobiles, in eo qui erant animo, vt propter τὰ χρήματα, & ſolum aurum Dæmonum ad voluntatem omnia ſe facturos iurarent. Sed hi omnium ſunt peſſimi! Hoc animo multi ad Dæmonolatriam ſæpiùs adiguntur, capiuntur, in exitium & interitum abducũtur, illi maximè, qui à certa fide deuiarunt, Dæmonis eſca illecti, theſauris inhiantes, quos ſibi à Dæmone præmon-

ſtra-

ſtratos cum animæ & corporis periculo eruere conantur. Rei Hiſt. vid. in Nicol. Remig. Dæmonolat. *c.4.* Bodin. Dæmon. *lib.3.c.3.* Widm. *in Hiſt. Fauſt. part.2.c.9.* à quo niſi in πέτραν ἀγέλαστον fueris mutatus ſine riſu non diſcedes. Innumerę ſunt, quas conſultò omittimus, ne plus iuſto ſimus longiores. Vnicum tamen ſubiiciemus exemplum admiratione non indignũ, & dignũ maximè admiratione noſtra, q̃ Marian. Bubo *lib. de Auarit.* nobis ſuppeditat, de Ciue quodam radicitus nequitioſo, & prorſus auaritia corrupto, ex Thuringia oriundo, is cũ inſana pecuniæ libidine pruriret, adeo vt dies noctesq́; hoc vnicè mẽte verſaret, qua arte, quaue fraude, auri, argẽtiue grandẽ ſummã requireret, & opulefieret, tandẽ ei nocte quadã preſſius & intenti⁹ in id cogitãti Dæmon ad ſpeciẽ vicini nõ pridẽ defuncti apparet, ſeq́; ſpiritũ defuncti eſſe fatet᷑, & ob id ex orco emiſſũ, vt impotẽtiori eius deſiderio leuamẽ adferret, ac animo pecuniarũ ꝑcupido & auaro bene cõſuleret; addens conſultũ eo modo ipſi fore, ſi clã omnib. domeſt. benemane ſurgat, nõ inuocato nom. Ieſu in locũ cõdict. exeat,

ibique cryptam ingrediatur. Ecce tibi, quid ſit? Auarus ille homo non aliter quàm canis famelicus carnibus inhians, ipſe pecuniis, prædictis obtemperans excurrit, cryptam ſibi adapertam inuenit, eam ingreditur, ſed ad finem antri vix progreſſus, videt arculam auro rutilanti repletam, cui incubabat canis ater, atroxq́; σεσηρὸς, quaſi hominem laceraturus, aditumq́; ipſi propiùs intercludebat. Ex eo cum ſe in caſſum laborare animaduerteret miſer ille, egreſſus cum dolore, & vacuus domum rediens, altero die œſtro correptus fuit, ita vt poſtquam filiam ſuam ſubnigram, natu iuniorem inſignis procacitatis puellam, cum furioſo patre ludere & iocari volentem, ad mortem diuerberaſſet, & ipſe mox animam ſuam in furore efflarit. Quo exemplo diſcant alii abſtinere ſe ab eruendis theſauris, & de per fas nefasq́; corradendis bonis, ne in diuina & humana pſephiſmata delinquentes infernali Cerbero deuorandi, iuſtiſſimi Dei iudicio, demerente ipſorum nequitia, trudantur.

Concludamus deniq; per ſolum Deum ſtare, vt homines opuleſiant, qui præ-

prærogatiuam ditandi ſibi ſoli ex iure & merito reſeruauit. Omnia dat Dominus, nec habet inde minus; ipſe aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione; ipſe dat cuique, & non improperat, in manu eius diuitiæ & gloria. *O dulciſſime IESV nos omnes hic & in altera vita dita, bea, recrea.*

QVÆSTIO VIII.

An Magi aliqua mixta maximè ſenſibilia, arte Magica producere poſſint?

ANimalia imperfecta, ex quorum numero ſunt muſcæ, vermes, ranæ, locuſtæ, ſerpentes, pediculi, pulices, mures, ratti domeſtica illa & fœda animalcula, ac huiusmodi inſecta, & plura ex putrefactione naſcentia, poſſunt producere celeriter, non creando, ſed actiua paſſiuis applicando. Hæc eſt ſententia Auguſtini, & Petr. Martyris, quos tota ſchola Theologica ſequitur. Solent autem Malefici ex pacto per Dæmonem actiua paſſiuis applicantem ea producere. Nam ipſi ſortiarii plerumque neſciunt, quo pacto gignantur, & cauſas ignorant, vt quã-

do Dæmon dat Sagis minutum puluiscu-lũ, cuius in aerem iactu diuersæ species locustarum, erucarum, murium & similiũ bestiolarũ, variæ pestes statim enascantur: iubentur interdũ alias nœnias adhibere, vim nullam naturalem habentes.

Eodem modo etiam possent producere anseres & aues sed imperfectiores, quales sunt Bernachiæ apud Scalig. & quales gigni solent ex deciduis foliis & fructib. arborum quarundam in mari putrescentibus, vel ex lignis nauigiorum putridorum. Vid. Cardan. *libr. 7. de rer. varietat.* & Iohan. Boemum *de morib. gent. lib. 3. cap. 26.* Scalig. *exer. 59. sect. 2.*

Possunt etiam producere & excludere q̃dam insolita & stupenda monstra; quale illud in Brasilia, altum palmos 17. tectum corio lacertæ, mam̃is p̃tumidis, brachiis leonum, oculis flammeis & scintillantib. qualia forsitan monstra fuere, quæ in Sax. syluis semihumana facie capta, Anno 1240. nisi fortè ista sint ex nefario, & cunctis ignib. plectendo, hominum & ferarum coitu nata, qui monstrorum plurimorum origo indubitata. Sic. n. A. 1278. apud Heluetios quædã peperit leonem.

An.

An. 1471. quædam Papiæ catum; Brixiæ canem alia. Sic 1531. Mulier Augustę Vindelicorum eodem partu enixa primò caput humanũ membranis inuolutum, mox serpentem bipedem, tertiò porcum integrum. Similia plura cogitatu & dictu admodum horrenda obuia sunt apud Scriptores recentiores. Lycosthen. *de Prodig.* Cardan. *libr. 6. de rer. var.* Lemnium, &c.

Verissimam & admirandam nefandi coitus narrationem literis prodidit Mar. Delrius Belga: in hoc ipso, inquit ille, Belgio fuit nefarius quidam tauricè & prodigiosè lasciuiens, qui vaccam iniuit, post visa est vacca prægnans, & aliquot mensib. post edere masculum, non vitulũ, sed puerulũ; Adfuerunt, inquit, non vnus, sed plurimi, deq; matris vaccæ vtero puerum cadentem adspexere, leuatũ de terra nutrici mulieri destinarunt; & ex sacro Baptismi fonte lauarunt, Christianæ vitæ præceptis instituerunt; Puer succrescens pietati studuit, & pro patrę seriò orauit. Animaduertis hominem perfectũ, qui tñ sentiebat in animo propensiones vaccinas, vt pascere prata, ruminari herbas.

Quid

Quid de hoc igitur ſentiendum, nonne hominem eſſe? eſſe! ex matre verò vacca natum negandum. Quid ergò? Diabolus quem infandum illud flagitium non, vt impulſorem, latuit, mox videri vaccam turgidam fecit, & cum voluit, aliunde infantem ſurreptum attulit, & vaccæ parturienti, vento quę prius grauida erat, puerum ſuppoſuit, ac ſi de vaccæ natura funderetur. Hinc nata opinio & puer perſuaſus, ſe vaccæ filium, falſæ & putatæ matris propenſiones hauſit imaginando. Nam vt verus homo ex ſeminis vaccini materia naſcatur, & organica illa diſpoſitio perfecta humani corporis in vaccæ vtero & vaccinę animæ calore & virtute perficiatur, id Philoſophi omnes inter ἀδύνατα computabunt. Idem eſto rectè Philoſophantium iudicium de puella Onoſcelia, ab euentu ſic dicta, quam aſina ex congreſſu nobilis cuiuſdam iuuenis Epheſii filii Demoſtrati noctu ad patrios greges currentis peperit. Vid. Stobæum *de Vituper. Veneris & amoris. ſermon. 62.* ex Ariſtotele ἐκ τοῦ δευτέρου τῶν παραδόξων. Sed de re parùm grata, auditu moleſta, dictu fœda ſatis diximus.

QVÆ-

QVÆSTIO IX.

An Dæmones sint incubi & succubi, & an ex tali congressu humana proles nasci possit?

ALiquando improbos Dęmones cum fœminis concubuisse, verè non imaginariè tantum, multi graues auctores testantur, inter quos præcipuo loco est Augustinus, qui *lib. 15. de Ciuitat. Dei. c. 23.* Creberrima, inquit, fama est, multique se expertos, vel ab iis, qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audiuisse confirmant, Syluanos & Faunos, quos vulgò Incubos vocant, improbos sæpè extitisse mulieribus, & earum appetiuisse & peregisse concubitus; & quosdam Dæmones hanc immunditiem assiduè & tentare & efficere &c. Et decreto Innoc. Papæ huius nominis VIII. statuitur, vt fidei inquisitores in maleficas mulieres cũ Dæmonibus turpiter consuetudinem habentes, vti par est, animaduertant

Etsi enim Dæmones non sint præditi natura corporibus, tamen corpus extrinsecus adsumere possunt, vel mortuum vel

vel ad humanam effigiem conformatũ, ex condenſatis aeris vaporibus; & ſemen virile aliunde arripere. Sed illos ex concubitu iſto humanam poſſe procreare ſobolem, hic iam nobis dicere non licet: quanquam opinione quorundam Merlinum vatẽ in Anglia celebrem congreſſu Dęmonis & Virginis Regis filiæ generatum, & Platonem ſapientiæ Principem, de Virginis partu Apollinis phantaſmate, id eſt, Dæmonis oppreſſæ natum, tradant. Qui quidem aiũt, Dęmonem, qua eſt celeritate & naturalium rerum peritia, calorem prolificum & genitiuum in ſemine, quantumuis ille ſit aereus, ac facilè diſſipabilis, conſeruare, fouere, illudque quo momento mulier ad concipiendum optimè eſt diſpoſita, matrici ſic infundere, vt ſemini muliebri aptè & exquiſitè commiſceatur & coaguletur. Vid. ſacram Philoſoph. Franciſci Valleſii, *c. 7.* & fuſiùs Orat. noſtram Magiſtralem DE DIABOLO IPSO, **Vom Teuffel ſelbſt.** Item Sprenger. *Mal. Mal. part. 1. quæſt. 1. cap. 4.* Binsfeld. *de Confeſſ. Malef. concluſ. 5. pag. 212. & ſequent.* Dn. Henric. Kornmannum in LINEA AMORIS. *cap. de*

FACTO.

FACTO. Danæum *in Ethic. Christian. lib. 2. c.14.* Timpler. *in Metaphys. lib.4.q.27.*

Hoc autem certum est, Dæmones non posse vi sua, & ex propria sua substantia more animantium generare, cum nulla substantia à materia abiuncta sua vi aliquam in materiam formam inducere possit.

Nec nobis dubium est, quos legimus Succuba Dæmone natos, vel suppositios fuisse alterius fœminæ veros infantes, vel ab alio Dæmone prolem ementitam, quod non rarò contingit, vt tempore puerperii, nemine obseruante, Dæmon prolem recens natam è cunis auferat, seq; assumpta infantis forma supponat. Ad priorem suppositiui partus fraudem referimus, quod de Bauaro Nobili legitur, cui Dæmon succuba imponens subtractos furto liberos sibi supposuit. Ad posterioris fraudis genus referamus illos paruulos, quos Campiones vocant, quosque ferunt adeò βυλιμίᾳ laborare, vt pulmentum, quod decem vastos & robustos trituratores impleret, glutiant, nec ad saturitatem, & lacte adeò sint insaturabiles, vt quinque nutri-

nutricum rumis exhauſtis, tamen ſint macie deformes, plumbei & menſibus aliquot poſt euaneſcant. Itali hos à continuo vagitu Vagiones, Saxones Kilkröpff / Germani noſtri Wechſelbälg / Wechſelkinder nominant. Vid. Paul. Friſium Nagoldanum *in Iſagog. Magiæ. c. 4.* & Lutheri Colloq. *cap. 24.* vbi multa piè ac neruosè de Campſionibus. Talem fictitium puerum arbitramur fuiſſe, quẽ quidam mendicus cum ſumma defatigatione baiulabat per Hiſpanię loca, cum eo colligens Eleemoſynas. Delr. *Disquiſit. Mag. q. 15. lib. 2. tom. 1.*

Quintum igitur generationis humanæ modum haud facilè agnoſcamus, ſed tantum 4. Primus eſt absque mare & fœmina, vt productio Adami. 2. Absque fœmina, ſed interueniente mare, vt productio Euæ. 3. Absque mare, ſed concurrente fœmina, vt generatio humanę naturæ Chriſti ex virgine. 4. Ordinarius ex mare & fœmina. Ecquis igitur non cum ſtomacho accipiet nugas illorum, qui dicunt, Buddam Principem dogmatis Gymnoſophiſtarum apud Indos è latere ſuo virginem genuiſſe. Stultam etiam licet

cet apud Mahometiſtas conſtantem opinionem, pleroſque, quos ſua lingua Neteſogol vocant, ſine carnali coitu naſci, quis non ridebit?

QVÆSTIO X.

De nocturna Sagarum ad nocturnas ſuas ſynagogas, comeſſationes, ſaltationes, concubitus &c. profectione, an vera ſit earum translatio de loco ad locum?

RES eſt controuerſa ac diſſenſionis plena, inter eos qui hæc Sagarum tractant portenta; & fateamur, neceſſe eſt, habere hanc concertationem in vtramque partem exempla, rationesque, quibus probabiliter contrariæ ſententiæ defendantur. Prima ſententia eſt, huiusmodi equitationibus ac conuentibus lamias duntaxat cogitatione animi & diabolica illuſione intereſſe. Hæc opinio cum Magno Luthero & Melanthone adſtipulatores magni nominis, habet non paucos. Alciat. *Parerg. iur. lib. 8.* Vair. *lib. 2. de Faſcin.* Portam *Mag. nat. lib. 2. c. 26.* Wier. *de Præſt. Dæm. lib. 3.* Herman. Widekind. *in ſuo fictitio* Lercheimer. Ioh. Scultet.

cap. 7. Meland. *Præcip. quæst. de Sag. pag. 43. & 90.* Bierman. *de Action. Mag. thes. 30.* Hos ſequutus Tobias Tandlerus Profeſſor Witenbergenſis Scriptor nuperus, Orator Stramineus, imprudens adeò Lamiarum delationem in dubium vocat, vt earum conuiuia, tripudia, concubitus, gaudiaq; omnia imaginaria eſſe concludat; in Oratione de Faſcin. ſuperiori anno Witebergę edita. Sed vt inconſideratè, ita ineptè, ita pueriliter, tanquam is, qui opera Magica Dæmonisq; ingenium tantum cognoſcat, quantũ canis noſter, BAHN cui nomen, opera ac indolem noſtram. Audimus hominem Medicum eſſe, qui acutiùs fortaſſis de ægrorum ſudorib. ſordibusq;, de fœdis tuberculis, puſtulisq;, de vlcerib. & peſtib. de ſcabie deniq; gallica, cæterisq; fœditatib. quàm de Dæmonum, Magorum, Lamiarũ actionibus, ludis & machinamentis ſermocinabit᷑. Quare, Ne ſutor vltra crepidam; nec Scathophagus vltra σκῶρ. Sed ad rem. Nos quidem concedimus, eſſe ſæpè, q̃ à Dæmone illudantur, ſenſib. internis externisq; vinctis ac ſepultis, phantaſia ẽt forte læſa perturbataq;; & eũ animis earum

rum varia ac mera ſomniorũ viſa immittere, quas laqueis ſuis irretiuit. Ex certis n. auctorib. compertum habemus extitiſſe, quæ cũ domi, imò in eodẽ cum marito cubili manifeſtè pernoctaſſent, recenſerent tamen poſtero mane, ac confidenter dicerent multa ac mirabilia, ad eiusmodi conuentus pertinentia, quib. ſe ſuperiori nocte adfuiſſe adfirmarent. Et Cardan. *lib. 8. de ſubtilitat. pag. 910.* Lamias, inquit, inter dormiendum putare, ſe varias ac longinquas regiones peragrare, atq; in iis Reges, theatra, tripudia, viridaria, fontes, viuaria, aliasq; res amœniſſimas videre, imò & venuſtiſſimos adoleſcentes propter quos dormiant, & queîs cum ſeſe oblectent; Sed hoc, crede nobis! non eſt perpetuum.

Altera opinio eſt, quã iudicamus amplexandam, quę ſtatuit verã ac corporalẽ profectionem ad nocturna comitia. Hoc eſt, Lamiæ nonnunquã verè transferuntur à Dæmone de loco ad locũ, hirco, equo, tauro, cane, vel altero animali, phãtaſtico vtplurimum, hoc eſt, Dæmone aſſumente, formanteque corpus aereum; vel etiam hominis in forma, eas ternas

quaternasue ſimul aſportante; vel colo, arundine, ſcoparum baculis, baculoue bifurco (quali equis ſubſterni ſolet) ſed acto & ſubleuato à Dæmone inequitantes ζωματικῶς ſiue corporaliter nefario conuentui interſunt.

Iuuat hic ſubiungere conuentus ceremonias, aliasq; circumſtãtias, quæ omnes in corporali baiulatione conueniunt, vt exinde magis ac magis noſtra ſententia ſtabiliatur. Solent ad conuentum delatæ Lamiæ Dæmonem, Synagogæ præſidem & Rectorem, in ſolio conſidentem, immutatum in hircum horridum, ac multò grauius olentem, quàm hœdi ſolent ineunte bruma, obuerſo ad illum tergo cãcrorum more accedentes, adorare, non genu curuato, ſed pedibes in altum iactis, nec capite in anteriorem partem prono, ſed reſupinato, ita vt mentum cœlum reſpiciat, deinde quod homagii eſt indicium (honor ſit auribus) ab iis ingerenda ſunt oſcula Dæmonis podici, quo quid fœdius? Et vt fœdum putidumque, ita cerebroſis quibusdam ridiculum ac incredibile videbitur. Certiſſimum tamen eſt! Quo enim quid fœdius, ſpurciusq;

ciusq́ue in illo fieri conuentu poteſt, id eò ipſis eſt gratius, atque alacrius magis magisque peragunt. Flagitioſum hoc opus, ſi alicui perſuaſibile haud fieri poteſt, is volumus conſideret, quod lectu obſeruauimus, in Calachut Diabolum in forma hirci comparentem homines in propatulo & panegyri pub. exoſculari ſimiliter, & hoc modo ipſi homagium pręſtare ad vnum omnes. Cupidus adeò Cacurgos iſte eſt imperii, nec non honoris, vt ipſummet Deum hac ratione imitari velit, Moyſi qui dixit, poſteriora mea tantummodò videbis, claritate mea anteriore inconſpicua manente. *Exod. 33. v. 23.* Poſt Deum ludit etiam in Papam ſanctiſſ. patrem, qui venerationis gratia ſubditis ſuis pedes exoſculandos prębet: ita Diabolus ſua vt mancipia ſubiecta ſibi & demiſſa habeat, & in ſummo apud ipſa honore ſiet, poſteriora ſua ipſis exoſculanda prębet. Sed profectò ſimius Dei, & papalium ceremoniarum hiſtrio eſt ineptiſſimus, hoc vnicè agit & diligenter intendit, vt ſuos cultores ad nefanda magis perpetranda ducat, donec eos ad exitium perducat æternum, vbi inter ineffabiles

fabiles cruciatus visuri sunt, quē dissua-
uiati fuerint, coluerint, adorauerint. Si v.
cuidam adhuc dubium sit, an reuera hæc
in Comitiis Sagarum ita fiant, is vel nunc
dubitare cesset, dum intelligit, horrida
fœdi oscula amoris & honoris signa, ob
illud ipsum, quod diximus esse constitu-
ta. Quæ res non solùm ex decrepitarum
mulierculatum, quæ fluxæ ac lubricæ fi-
dei alicui videri possunt, sed & ex iuuen-
cularum, tumque virorum secundum se-
culum prudentum elogiis, qui conuentui
interfuere, homagium præstitere, oscu-
lum dedere, in comperto est. Vid. Bodin.
Dæmon. libr. 2. capit. 4. de D. Guilhelm.
Edelino, mens horret, calamus scribere
refugit.

Post oscula mensis adsident, interque
basia ac suauia conuiuātur de cibis, quos
Dęmon suppeditat, vel de iis, quos sin-
gulæ attulere. Interdum tripudiant ante
conuiuium, interdum post. Solent di-
uersæ mensæ esse, tres quatuorue, cibis
interdum delicatissimis, interdum valdè
insipidis & insulsis, ex loco morticinis
cadaueribus destinato depromptis, onu-
stæ, quib. ꝓ dignitate & nequitia, ex sce-
leribus

lerib. conciliata singula collocantur. Aliquando suus amator Dæmon cuiq; assidet, aliquando è regione, nec tum basia & suauia, & tactus impudici solent desiderari. Nec mensæ deest consecratio, impio hoc cœtu digna, ex verbis planè blasphemis conflata, qua ipsũ Dęmonẽ βλαβιεράπατον, creatorem, datorem, conseruatorem omnium plusquàm blasphemè & impiè profitentur. Eadem est sententia gratiarum actionis, quam subdunt mensis sublatis. Conuiuiis sic & tripudiis interdum intersunt facie libera ac aperta, interdũ obducta larua, linteo, cortice, reticulo, peplo, vel alio velamine, aut farrinario excerniculo inuoluta. A conuiuio quisq; Dæmon suam quam custodit amasiam, & quam habet discipulam, manu præhendit, vtq; omnia fiant ritu absurdissimo, & ab omni consuetudine hominum alienissimo, dorsis inuicem obuersis, & in orbem iunctis manibus, saltando circũeunt, perinde sua iactantes capita, vt qui œstro agitantur; nonnunquam candelas accensas manu tenentes, queis cum ante Dæmonem osculantes adorarunt.

Nec deeſt illis Muſica miris modis perſonans, miſcentur enim & perturbantur omnia, & profectò oratione ſatis exprimi non poteſt, quàm ſtrepant ſonis diabolicis, abſurdis & discrepantibus. Canit hic ad tibiam, vel verius ad contũ aut baculum aliquod fortè humi repertum, quod buccæ ceu tibiam admouet; ille pro lyra equi caluariam pulſat, ac digitis concrepat, alius fuſte ceu claua quercum tundit, vnde auditur ſonus ac boatus, veluti tympanorum vehementius pulſatorum, intercinunt rancidè & compoſito ad litui morem clangore Dæmones, ipſumque cœlum fragoſa aridaque voce feriunt; totaq; turba colluuiesque peſſima feſcenninos in honorem Dæmonum cantat obſcœniſſimos; Hęc canit: *Har, har, har*, illa, *Diabole, Diabole ſalta huc, ſalta illuc:* altera, *lude hic, lude illic*, alia *Sabath, Sabath, &c.* imò clamoribus, ſibilis, vlulatibus, popiſmis furit ac debacchatur. His peractis ſuis amaſiis fœdiſſimè commiſcentur, ibique præpoſtero modo peraguntur omnia.

Ne prætermittamus ſacrificia, quæ fieri ſolent ſtatim in initio, peracta adoratio-

ratione, quę tamen & ſæpe extra conuentum faciunt. Denique aiunt, quemque narrare ſua ab vltimo conuentu facinora, quæ quo grauiora ſunt, & magis execranda, eo pleniore bucca à Dæmone collaudantur: Sin nulla, aut non ſatis atrocia, ſegnibus iſtis præſtò ſunt verbera ſæuiſſima, ac adeò tam atrocia crudeliaque, vt ſæpè integrum biduum ex eorum dolore ei, qui ſentit, ſit decumbendum, hocque carnificis & flagellatoris munere fungitur, aut ipſe Dæmon, aut Maioriſta quispiam ſenior. Vltimò pulueribus vel venenis acceptis, & in dicto cuique nocendi penſo & pronunciato pſeudothei Dæmonis ſc. decreto, (*Vlciſcimini vos, alioquin moriemini*) quæ hominibus pecudibusque ſpargant, finem faciunt.

Sed quo magis magisque noſtræ ſententiæ veritas illuceſcat, iuuat modum quoque ac viam, qua ad conuentus properatur, exponere. Ac vulgatiſſima ea ab omnibus perhibetur, quæ per Camini vaporarium eſſe conſueuit. Hisce non abſurdum eſt adiicere, quod de die, quo ſic vna conueniant, ab illis vulgò dicitur: Sagæ quamplurimæ Remigio, vt inquiſi-

tori non aliis noctibus, q̃ quæ proximè præcedunt diem vel Iouis, vel Domini, eiusmodi conuentus agitari, ſpontaneis ac diſertis elogiis confeſſæ ſunt. His addemus ad ampliorem rei fidem, an certa ac præſtituta ſit hora aliqua nocturnis illis conuentibus? Ex reorum cõfeſſionib. compertum habet Nic. Remig. eã tempeſtatem, quæ vna atq; altera hora mediã noctem præcedit, apprimè idoneam eſſe, atq; opportunam, non modò illis conuentibus, ſed & quibuscunque aliis Dæmonum terriculis, ludibriis, occurſationibus, ſtrepitibus, quę ſequitur, non item iis eſſe obnoxiam. Cauſam Lamiæ non addidere, nec nos eam hic ariolabimur. Et certè experientia docet, nullas in tota nocte horas ſuſpectiores eſſe iſtius vmbrarũ apparitionis, illasq; præcipuè ſpectris tetrisque imaginibus eſſe infames. Quod ẽt veteres in ſcriptis ſuis teſtatum reliquere. Apollon. apud Philoſtrat. *libr. 4. c. 5.* Imaginem Achillis à ſe viſam, poſt colloquutiones aliquot euanuiſſe, ait, q̃ iam cantus gallorum audiretur. Vnde etiam Euſeb Cæſarienſis infert, noctem tempeſtam, quæ certè gallicinium proximè

ximè antecedit, cõuenientiorem esse Cacodæmoni ad danda ludibria. Adhæc striges confitentur, nihil magis infestum ac inimicum sibi & Dæmonibus accidere posse, quàm si gallus interea dum se ad rem parant occineret. Idem retulerunt & aliæ eiusdem farinæ lamiæ, *Magistellos* sæpè suos, quùm dimittendæ concionis tempus instaret, inclamare solitos; *Eia facessite properè hinc omnes, nam iam galli canere incipiunt.* Quod Remigius bene interpretatur, vltra id tempus Dæmones negotium suum non posse protrahere. Quæ verò huius rei sit causa; nondum exploratum habemus; quare & nos hic nostram ignorantiam liberè fatemur, tutiusque ac præstabilius iudicamus nos hic tacere, quam contra Genii nostri nutum præcipiti temeritate aliquid proferre. Iam nunc de vnguento.

Posset Dęmon Sagas transferre, sine vnguenti vsu, quodque facit aliquando, sed vnguento mauult vti, variis de causis, aliquãdo quia meticulosiores sunt sagæ, vel quia teneriores sunt, ad horribilem illum Satanæ contactum in corpore assumpto ferendum. Ita enim vnguine

sensum

ſenſum ſtupefacit, miſeris perſuadens, vim vnguento ineſſe maximam. Nihil verò ad translationem conferre vnguẽtum, inde patet, quod etſi qui ſtato conuentus tempore, ex curioſitate cupientes Synagogæ intereſſe, ſe eodem cum ſtrigibus vnguento perfricent, & verè per aerem ad conuentum auolent; (Deo ad puniendam incredulam curioſitatem permittente) tamen ſi quis fide firmus, caritate armatus, ad fraudes Dæmonis detegendas ac reuincendas, ad veræ fidei confirmationem, eodem ſe vnguento imbueret ac perfricaret, ſine dubio nulla ſequeretur translatio, quia hîc omne pactum cum Dæmone ceſſat, nec Deus id permitteret. Quare quando Sagæ extra conuentui deſtinata tempora ſeſe inungunt ac illiniunt, non auolant, nec auferuntur, quia hoc non eſt ex pacto; ſciunt & hoc ipſæ ſtriges, ideoque ſe non illinunt, niſi audito conuentus ſigno, quod aliquando à Dæmone, (quem non vocant Dæmonem, ſed *Magiſterulum*, aliæ *Magiſtrum Martinettum*, ſiue *Martinellum*, aliæ *Pedellum*) datur, aliquando à vocibus præteruolantis comitatus, Sagarum Reginæ, aliàs aliter. His

His positis confirmatur ac probatur hæc translatio corporea; quia non potest dari quicquam, quod eam reddat impossibilem. Ecquid enim deest? Non deest corpus mouens: Nam Diabolus corpus assumit. Nec obstat, nec adest corporis moti resistentia, vel grauitas, quia longè maior est vis mouentis Dæmonis. Nec obstat celeritas motus, ad locum remotum, spatio temporis breuis; hoc enim valet efficere eius incomparabilis velocitas ac vis naturæ angelicæ: Nec Deus id non permittit; Extant enim permissionis innumera exempla, vt dissentiens pertinaciæ ac proteruiæ notam vix effugere possit; quorũ exemplorũ onusta plaustra ex Delrio *lib. 2. Disquisit. Mag. qu. 16. tom. 1.* Remig. *lib. 1. Dæmonolat. c.* 14. Grilland. *de Sortileg. c. 7.* Binsfeld. *de Confess. Malef. pag. 250.* & seq. possemus aduehere, ex quibus fortissima desumitur probatio. Nec hoc prætermittendum, quod nonnunquam conuentu subitò dissoluto ac dissipato, repertæ sint mensæ, ferreæ ollæ, paropsides stanneæ, & supellex argentea & aurea, posteaque à Dominis agnita, & confessæ mulieres, se illam secum ad conuentum

tum detuliſſe. Manifeſtum eſt, hæc non contingere, nuda duntaxat imaginatione & delirio muliercularum. His ſi quis paruam fidem habeat, nihil equidem dubitamus, quo minus in contraria opinione hęreat. At veremur, diu ne immorando in ſententia, à ſeipſa expugnata, atque onere ſuo collapſa, nobis ipſi faciamus iniuriam. Quare ne diutius vltra clepſydram, quæſt. finis eſto.

QVÆSTIO XI.

An poſſit Dæmon quantitatem corporum mutare, comprimere, ſiue rarefacere, vt partes ſeſe penetrent, aut corpora reddere ἀόρατα, *aut corpus vnum, vt duobus in locis exiſtat, efficere?*

NEquit Dæmon ſic mutare corporis quantitatem, vt homo inſtar cati vel muſtelæ per tenuem rimam in cubiculũ irrepat, multo minus, vt per ianuas clauſas ingrediatur. Hoc enim excedit vires naturæ creatæ. Itaque mentitæ ſunt ſtriges illæ Lotharingicæ, quæ Nicol. Remigio perſuaſerunt, ſolere Dæmonem veteranis Lamiis facultatem penetrandarum ædium tribuere, vt per quaſuis anguſtias,

gustias nullo negotio viam sibi faciant, & in mures, feles, auiculas, locustas, atque alia huiuscemodi pusilla animalcula cōtractæ ac diminutæ, intromissæque denuo priori formę restituantur. Hæc, medius fidius, deliria sunt omnia ac delusoria. Sic mendacium dixerunt Dusani, Virgauillæi, Forpachēses, & pene omnes in Austri regni præfectura, deprehensi sortilegi, qui se ex homine in felem toties migrasse retulerunt, quoties se in alienas ædes latenter intromittere volebant, sua ibi noctu vt venena spargerent. Remig. *lib. 2. Dæmonolat. cap. 5.* Mentitus similia iactans quidam Scaphius apud Nider. *in Formicar. c. 4.*

Hoc autem verum, quod Dęmon pręcedens latenter aperit & claudit ianuas vel fenestras corporis capaces (idq; mira agilitate, subtilitate, sine omni tumultu ac stridore, ne vnquam homines percipiant, aut euigilent) per quas eas intromittit, quæ se putant formas horum animantium induisse, quod prudentiores Lamiæ Italicæ Paul. Grilland. *lib. 2. Sortileg. q. 8.* confessæ fuerunt.

Mentiuntur etiam delusæ ac deceptæ

Lamiæ

Lamiæ, q̃ commemorãt Diabolũ ianuas, parietes , muros ita aperire, vt per quandam quaſi fiſſuram & disruptionem ingrediantur & egrediantur, poſt iterum partes coniunctas coaleſcere; quod probabile videbitur iis, qui partium penetrationem admittunt. Aſt totum illud præſtigioſum aſſerimus cum Delrio noſtro, vel Dęmonem, qua eſt agilitate & dexteritate, quot ſufficiant lapides mox eximere & ſuſtinere alios, ne proruant,& poſtea eadẽ celeritate eoſdẽ in ſuo loco reponere exiſtimamus, idque ſubtiliter adeò ac celeriter vt prompta illa agendi vis ac expedita celeritas tartarei ſpiritus ſub aſpectum hominum non cadat; hinc fit, vt Striges falsò ſibi perſuadeant per partium compreſſionem, ianuam, murum, parietem eſſe apertum.

Cum igitur Dæmon quantitatem corporum mutare aut comprimere aut rarefacere nequeat, multò minus efficiet, vt corpus vnum vno momento duobus aut pluribus in locis exiſtat. Non obſtant nobis documenta, quibus docetur, multos alio loco αὐτοπροσώπως aliis apparuiſſe, quàm vbi reuera tum erant, non dormientibus,

entibus, sed vigilantib. Hæc si à viris sanctis facta, apparitiones sunt miraculosæ, & ab infinita Dei virtute factæ, vt de S. Nicol. Agatho & Benedicto. Si autem à Geniis malis procurata, apparitiones sunt prçstigiosæ, & ad speciem tantum visç. Huc refer illud de mulierculis comessatricibus in vit. D. German. & de Imperatoris filio, per Theodor. Monachum patri exhibito, apud Zonaram *tom.3.in vit. Basil. Macedon.* Vid. Pet. Thyræum *lib.3.de spirit.apparition.c.6.7.& lib.2. c.8.cum seq.*

Nequit etiam efficere, vt corpus quãtum & coloratum verè reddatur inuisibile illis, coram quibus existit, oculis eorum sanis & non præstigiatis, & nulla obiecta nebula. Fieri autem potest, vt per accidens non videatur, vt si corpus aliquod aliorsum à Diabolo transfertur: vel si Diabolus species visiuas impedit, ne in oculos astantium commeare possint, quod factu ipsi facillimum est, obiiciendo caliginem aut nebeculam, aut corpus aliud interponendo, vt docet Petr. Martyr *in loc. Theolog.* vel si corpus aliqua sibi possibili ratione & arte transformet. Has

technas, has præstigias solet Dæmon vsurpare, quando corpora nostra reddit ἀόρατα siue inuisibilia. Ita Apollonius cum esset in prætorio Domitiani, vt putabatur, condemnandus, derepentè ex omnium oculis euanuit; surreptus & translatus scilicet à Diabolo. Sic superioribus annis facinorosus quidam, cui nomen Metzelheusser/in celebri Franconiæ vrbe capitis damnatus, & iam suspendendus, ex carnificis manibus, pro se stramine in fasciculum conuoluto relicto, euanuit. Hisce fraudibus delitescebat Gyges cum suo præstigioso annulo, quæ fabula lippis & tonsoribus est notissima. Narratur à Platon. *2. de Repub.* Cic. *3. Offic.* Agrippa *libr. 1. Occ. Philosoph. cap. 47.* de Annulis & eorum compositionibus. Erasm. *in Adag.* Gygis annulus.

Eadem est fabula Græcorum de Persei scuto.

Sed vanius quid dici potest à Philosophis? Quid magis ἄτοπον καὶ ἀφιλόσοφον? quàm Heliotropium gestantes reddi inuisibiles? Vim admirandam adeò & inusitatam inesse lapidi, vt colores tollat, aut alios inducat obiecto, difficulter credimus,

mus; cum neq; experientia ipſa, nec auctoritas ἀξιοπίστου id doceat.

Ex his denique detegi poſſunt illuſiones iſtæ Dæmonum, quando membrorum aliquorum ſpeciem, vel immenſam faciunt apparere, vel nullam, vt membra prorſus ſublata eſſe videantur, vti ſunt quæ narrantur *in Mal. Malefic.* de iis qui virilia ſibi ablata putabant, *part. 2. quæſtion. 1. capit. 7.* Ibidem de mentulis nidulis auium impoſitis & ſcriniolis incluſis. Rem ſi haud carptim legeris, niſi in aſinum mutatus fueris, ridebis effuſè, ea eſt, vt vel mœrentibus riſum & cachinnum extrudere poſſit, quo gaudio, quando nobiscum frui volueris, Sprengerum volue & reuolue; & Felic. Hämmerlin *in tractat. de Credulitat. Dæmon.* ne faſtidias.

QVÆSTIO XII.

An penes Dæmonem, Magosq́; sit, corpora ex vna in aliam speciem transformare? hic de Lycanthropia.

PRetium operæ erit, hanc à multis agitatam tractatamque quæstionem attingere. Hîc verò non est animus Apulei asinum in scenam producere, aut quas Poetæ comminiscuntur fabulosas Metamorphoseis, nouis exemplis tueri ac defendere; qualis est fabula Luciani Metamorphosis in asinum: sed de Magicis, quæ virtute Dæmonum fiunt, perfectæ speciei, in aliam formam transformationibus.

Diuus August. sanctioris Theologiæ censor argutissimus *lib. de Ciuitat. diuin. & lib. 3. Trinitat.* eos grauiter ac seriò reprehendit, qui credunt, Dæmonis arte vel potestate hominis corpus in bestialia membra vel lineamenta posse veraciter conuerti. Idem alibi non fuisse veras cõuersiones sociorum Diomedis in aues; Iphigeniæ in ceruam ait; sed Dæmonum præstigiis humano aspectui ista corpora

esse

esse subtracta. Quæcunq; igitur ab aliis de transformatione hominis in belluam dicuntur, maiora sunt, quàm vt à Dæmone fieri possint. Quia Dæmoni itaq; sunt impossibilia, omnia illusoria ac phantastica sunt: hoc communis Theologorum schola approbat; idem volunt & psephismata; idem ratio persuadet. Nequit enim anima humana informare corpus belluinum, vt nec anima leonis corpus equinum, vel anima equi corpus humanum, quia quælibet forma substantialis, vt suũ esse tribuat informando, requirit peculiares, sibique conuenientes dispositiones, & organizationem corporis propriam. Vnde fit, vt nec ferina anima corpus humanum, nec humana ferinum queat informare. His de causis neque poterit anima hominis in caballi, asini, aut lupi, felis, muris alteriusue bestiæ corpus migrare illud informatura. Nec igitur poterit totum compositum essentialiter transmutari à Dęmone. Nam nihil potest verè transmutare vnam substantiam in aliam, nisi habeat vim producendi substantiam. Dæmon plane nullam habet vim producendi substantiam:

ſequitur , illi veram transmutationem ſubſtantiarum attribui non poſſe. Semper ergo illuſio hic interuenit illorum, qui ſe transmutatos putant, ſæpè illorum etiam, qui ſe videre putant, quod non vident.

Hoc loco dicendum de λυκανθρώποις. Hac in re vir prudens, qui decipi non vult, diſcernat ipſam transformationem ab effectibus eam concomitantibus. Ipſa quidem transformatio phantaſtica eſt & deluſoria , multi tamen eam concomitantes effectus veri ſunt. Verbi gratia: Strages hominibus vel pecoribus illatæ per Dæmonem (qui ab initio homicida eſt, prædator , vaſtator , inſidiator, vexator, carnifex) in corpore aereo vel lupino; ſiue per homines lupina tectos effigie, vel per eosdem non tectos , ſed humana ſpecie graſſantes & efferatos. Poteſt enim fieri, vt ex humorum vitio & atræ bilis exceſſu , affectus quidam lupini & odium in greges atque homines deſideriumq; eos inuadendi, lacerandi, vorandique mentem occupent ; Vnde & Medici λυκάονα ſiue λυκανθρωπίαν, ſiue λυκάνθρωπον νόσον inter morbos numerāt , quem

Latini

Latini Melancholiam, ſiue inſaniam lupinam vocant. Ex ſimili vitio nonnulli ſe canes, leones, lupos, gallos, aliasq; beſtias putant. Quidam forti imaginatione ſibi perſuadent ſe in vaſa fictilia, cerea, vitrea conuerſos. Et Medicis manifeſtum, notorium & palàm eſt, ſæpè eorum, qui ęſtu febrique vehementiore iactantur, ſic ſenſum deprauari, vt alieniſſimas formas ac ſimulachra pro veris firmiſſimè concipiant ac amplectant. Cuius argumenti illud eſſe poteſt, quod narrant de eo, qui ſe in vitreum poculum conuerſum adeò obſtinatè credebat, vt accedentes propius à ſe obnixè prohiberet, veritus ſcilicet, ne ſe illidendo comminuerent. Fuit & alius, qui ſe gallum eſſe putabat, hic quoties cantantem audiebat gallum, brachia tanquam alas excutiens, veluti gallus cantabat. Alius ſe in granum milii transformatum credebat, nolebat cubili egredi, ne à gallinis deglutiretur.

Plerique atra bile vitiati, ſe leones, Dæmones, aues eſſe ſibi imaginantur, vt annotauit Auicenna.

Alii ſe credunt mortuos, ægros: alii ſibi videntur magni Principes, totius mundi Imperatores: alii viri eruditi, Prophetæ, aliqui captiuitatem, condemnationem, ſupplicia, & orcum ſibi deputata deplorant. Nouimus quendam, qui ſibi videbatur ὄνος, baiulans onus, hoc eſt, aſinus ſacco coopertus. Et alium vidimus nos qui loquimur, ſuperiori Anno Ambergæ, qui capra ſibi videbatur, ſaltatim incedebat, arborumq; codices erodebat; alium deniq;, qui ſibi videbatur porcus, vidimus in Imperiali Northauſſen, hic nigra tunica indutus limum lutumque intrabat, & porcorum more vorabat.

Hi ſolo eiuſmodi morbo laborantes, Magi non ſunt, & licet ipſi ſe beſtias putent, ferinamq; ſæuitiam imitentur: aliis tamen vti ſunt homines videntur. Talis ſibi non cæteris videbatur Pater Præſtantii apud Auguſtin. *lib. 18. de Ciuitat. Dei. c. 8.* Et alius apud Guilhelm. Brabantinum, de quo Hiſtoria legenda apud Wier. *de Præſt. Dæmon. lib. 4. c. 23.* Simili Melancholia exagitatum fuiſſe agricolam illum Patauinum apud Fincel. noſtra eſt ſententia.

Sed

Sed quando aliis quoque lupi, canes, mures, cati, ratti, aliæue bestiæ esse videntur, vt mulier apud Palladium *in Vit. Macarii.* Alexandro videbatur equa, hoc magicum est, & à solo morbo nequit proficisci. Verùm solet tum Diabolus diuersimodè decipere. Nam solet aliquando alia corpora substituere, & illis absentib. & alicui in loco abdito soporatis, ipse assumpto lupi corpore, vel ex aere formato, sibique circumdato, ista perpetrare, quæ putant homines ab istis miseris absentibus & dormientibus perpetrata, quod stratagema à sancto quodam viro manifestatum narrat Guilhelm. Parisiensis. Aliquando verò Diabolus hominib. ipsis ferarum exuuias affabrè, aptè & compositè circumdat, quod fit quando illis dat pellem lupinam in trunco quodam cauæ arboris occultandam, vt ex quorundam confessionibus in confesso est. Aliquando denique ex pacto Magis aeream circũdat effigiem belluæ, membraque membris, quoad patitur similitudo, circumponens, caput capiti, os ori, ventrem ventri, pedem pedi accommodans: hoc solet contingere quando ad

rem inunctionibus certis, (vt Dolani isti Lycanthropi, qui supplicio publ. affecti, & de quibus acta iudiciaria sunt edita) vel solis verbis conceptis, vtuntur. Vt ille Petronius Armentarius, de quo Remig. *lib.2.Dæmonolat.cap.5.* vt ille apud Ducem Russiæ, à canibus discerptus ac dilaniatus. Et in Bulgaria quidam Baianus. Vid. Remig. *citat.loc.* Hoc modo, vt & præcedenti casu relinquunt vestigia lupi terræ impressa. In hoc autem vltimo casu non est quod miremur, si postmodum verè inueniantur saucii illis membris humanis, quæ in ferino corpore ictum exceperant. Nam leuiter cessit, vt inquit Delrius noster, circumiectus aer, & vulnus vero corpori ex facili inhæsit. Quando verò verum corpus abfuit, tunc ipse Diabolus in absente corpore eam partem consauciat ac vulnerat, quam in ferino corpore scit esse lęsam. Huc trahenda historia de rustico ligna secante, & tres catos robustissimos in se impetum facientes gladiatorio prorsus animo feriente, recenset eam Spreng. *in Mal.Malef.part.2.quæstion.1. capit.9.* & Godelman. *libr.2.de Lam.cap.2.* His adde agmen catorum

torum, quo cum quinque vigiles bella gessere & confixere, vid. Bodin. *Dæm. libr.2. cap. 6. de Lycanthropia.* & ingentem felem puerulum quendam inuadentem, à patre pueruli lumbifragium auferentem. Spinæus *de Strig.c.19.*

Hoc loco non possum mihi temperare, quin paucis, quantum ad præsens negotium pertinet, recitem historiam de quodam λυκανθρώπῳ, cui nomen Peter Stumpff. Hic seculis paucis ante Bebburgi, oppidum est Vbiorum, publicè affectus est supplicio, propterea quod cum Diabolo Succuba plus quatuor lustris consuesset, libidinosæque voluptatis consuetudinem cum ea exercuisset; ille ab hac donatus fuerat zona, qua cum cingebatur, & sibi & aliis in lupum verti credebatur, hoc schemate ter quinque pueros iugularat, eorumq; comederat cerebellum.

Hoc postremum nobis erit de LYCANTHROPIS, in Liuonia & aliis proximis locis oberrantibus, quos incolæ LAMIAS putant, Germanis Beer-Wolff / nobis verius atque

magis

magis propriè Teuffelswolff / Græcis λυκανθρώπους & μυρμολυκίας, siue ἀρκτολύκους, Latinis varios, ambiguos ac versipelles dictos. II. Certè Dæmones sunt censendi, vt qui eam assumpserunt formam, vt magis credulum hoc genus hominum suis vaframentis irretirent. Talibus enim lusibus & offuciis, inquit Peucer vir multiiugæ lectionis, *de Diuinat. gener. pag. 289.* delectatur Diabolus, vt misera illa & Dei ignara mancipia sua excruciet; etiam in hac vita, suppliciis, torturis, excarnificatione corporum & modis aliis vexet. Lycanthroporũ exemp. alia videre, si lubet, licet in Bodin. Dæmon. à quo pro tempore dissensionem facimus, licet in eius sententiam pedib. eat Professor Lipsiensis à nobis priùs laudatus in Orat. de Lycanthropia lectu dignissima. Vid. etiam eruditè de hac disserentem Thom. Sagittarium Professor. Ienensem *in Disputat. Physicis.* Dictum sapienti sat est: quare stylum flectimus ad alia.

QVÆSTIO XIII.

An Magica arte Magi efficere possint, vt bestiæ loquantur, & an ipsi intelligant voces bestiarum?

Virtute

VIrtute diuina aliquando fieri, vt quibus loquela nulla ineſt, loquantur, nemo dubitabit, multò minus inficias ibit; ſiquidem ſacra Scriptura id atteſtetur & comprobet *Num. 22.* Hoc qua ratione Sapientiſſimus Deus perficiat, ipſe nouit, qui cum ſermonis ſit fabricator, & quæ nota ſunt organa ſermonis articulati ipſe formarit; vt ſunt lingua, fauces, palatum, labia, dentes, guttur, pulmo, ſpiritalis arteria, & pectorales lacerti &c. poſſet is & alia peregrina, quæ vellet organa ad hoc deligere. Veruntamen eum opera Angelorum vti vtplurimùm conſtat, qui per bruta, vel alias res inanimatas voces edunt & loquũtur; quomodo verò Angeli loquantur, nobis occultum eſt; ſicut & ipſi, vt inquit Agrippa in Occult. Philoſoph. Hoc tamen conſiderandum & diſcrimen notandum venit: Si loquantur per animalia, quibus apta ſunt organa & viuentia inſtrumenta; vt per picas, coruos, pſittacos & ſimilia, in ipſis corporibus formari loquelam, & eſſe vitalem actionem iſtius animalis, non tamen intellectualem; quę eſt reſpectu Angeli. Sin per illa, viuentia quidem quę ſunt,

ſunt, ſed non habentia idonea organa ad loquendum, vt ſunt Aſini, Leones, boues, canes, putandum Angelos, vel in ipſis, vel iuxta ea, ſermone formato, in aere loqui: idemq́ue intelligendum, de inſenſibilibus, vt igne, aere, aqua, terra, cadaueribus, capitibus reſectis, ſtatuis, arboribus. Hac ratione quando vox formatur penes corpora illa, loquutio nullo modo tribuenda eſt alteri, quàm Angelo, vt formanti, edenti, corpori vt inſtrumento & medio, neutri vt vitalis actio. Si formatur intra corpus ſenſile ineptum, vel etiam inſenſile, illi tribui poteſt vt organo.

His poſitis, cuiuis facile erit iudicare de miraculoſis loquutionibus, quarum in Scriptoribus tum ſacris tum prophanis documenta extant varia, vt de aſina Balaam, *Num. 22.* de Angelo in rubo alloquente Moyſen, *Exod. 3. verſ. 4.* de Spiridionis Irene mortua, depoſiti locũ indicante. Ruffin. *lib. 1. hiſtor. Eccleſiaſt. c. 5.* de quodam occiſo iuſſu Macarii homicidam prodente. Fulgoſ. *lib. 1. cap. 6.* Et de colloquio Caluariç & alterius Macarii, de variis damnatorum ſedibus, & de con-

Confessoribus in Africa, in persequutione Vandalica, radicitus exectis linguis, adhuc clara loquentibus.

Miraculorum verò & operum DEI simia cum sit Diabolus, & ex superbia & ambitione cum vero DEO certet, similia multa & pseudomiracula efficere tentat, in odium DEI & hominum perniciem; interdum ad diuinam vindictam atque iustitiam manifestandam: vt cum Cercydam homicidam præcissum indicaret caput, Aristoteles *libro tertio de part. animalium, capite decimo.* & caput Orphei prædiceret Regi Persarum Cyro, fore vt à muliere trucidatus interiret.

Cæterùm Valerius Maximus *libro primo, capite vltimo* de Simulachro Iunonis Monetę, quod Romani Veiis Romam transferri religionis ergò cupiebant; illud cum quidam militum ioculariter interrogarent, an Romam migrare vellet, velle se respondisse narrat. Qua voce audita, iocus lususque in admirationem, ex admiratione in religionem versus est. Simulachrum etiam Fortunę Muliebris à matronis ROMANIS, cum æde

ærde conſecratum ſua, bis loquutum eſſe; hisce idem Valerius teſtatur verbis: RITE ME MATRONÆ VIDISTIS, RITE ME CONSECRASTIS. Et Caio Volumnio, & Seruio Sulpitio Coſſ. dicitur bos humano more loquutus. Bello etiam Punico ſecundo, aiunt, Cneo Domitio bouem dixiſſe; CAVE TIBI ROMA. Huc pertinent, quæ monumentis prodidit Philoſtrat. *lib. 6. c. 5. de Vit. Apol.* Vlmum quandam iuſſu Principis Gymnoſophiſtarum apud Æthiopes, voce clara ac diſtincta, ſed tenui admodum & fœminea, ſalutaſſe Apollonium. Item ſtatuam Menonis, cum eam radius Solis circa exortum eius attingeret, & ad os ſtatuæ perueniret, more hominum loquutam. En habes aliquot præſtigioſarum loquentium exempla, ex arte Dæmonum apud gentiles ſimulatarum, ad lucrum ſacerdotum gentilium. Hanc in claſſem refer Simonis Magi canem, qui D. Petrum & alios fuit alloquutus; & Canem Lamiæ cuiusdam, quem Grillandus Romæ loquentem audiuit.

Hic nunc dubitatio mentem ſubit noſtram, an animalia illa intelligant, quæ loquan-

loquantur? hoc nullus Angelus ipsis tribuere potest. Attamen verum est illud, Dæmonem posse efficere, vt animalia certis temporibus locisq; aptè & conuenienter quędam dicant faciantq; personis & rebus præsentibus accommodata, idq; Dæmonem facere ex instituto, animalia verò casu & fortuitò, quibus ignaris & rudioribus, vt quibus non est datum rerum cognoscere causas, speciem quandam intellectus prębeant. Quemadmodum sæpissimè his nostris vidimus oculis, penes Magos fuisse animalia, quæ miras gesticulationes motionesque edebant. Tale est, quod narrat Valer. *lib.1. c. 8. de Mirac.* de serpente illo Æsculapii, quem Romani volentem & intelligentem, & quædam rationis, religionisq; nec non diuinitatis signa dantem, Epidauro Romam aduexerunt. Huius etiam est generis, quod narrat Philostrat. lib. 5. c. 15 de leone quodam mansuetissimo; fabulam legat, qui volet, recenset eam Pererius *lib. de Mag. c. 6.* Ex hac familia fuit Canis ille cœcus & rufus, quem Andreas Italus & præstigiator satanicus circumducebat, & per eum multa prodigiosè

operabatur. Si quando in foro circumſtante turba conſiſteret, annuli aurei, argentei, ferrei à tergo canis in terram deponebantur, quos vbi Andræas ille contexiſſet, canis ex iuſſu eius ſingulos ordine depromptos ſuis reddebat Dominis.

Eodẽ modo varias monetas nummulosq́; confusè aceruatos, iuſſus ordine diſcernebat. Interrogatus quinam fornicatores, mœchi, auari, vel magna auctoritate & potentia præditi eſſent, eos minimè aberrans commonſtrauit; & ſi quid ſeorſim de aliquo ex ipſo quæreretur, ad id nutu reſpondit. Hæc & ſimilia miranda, ſine vſu rationis & prudentię à beſtiis fieri non poſſe, iudicat vulgus.

Longè faciliùs erit ipſis efficere, vt vitiatis organis corporeis homo loqui volens, latrare, vlulare, crocitare, hinnire, grunnire, rudere, rugire audiatur. Conſtat enim id artificio quodam naturali nonnullos feliciter conſequi. Nos qui loquimur, hominem vidimus proximè elapſo anno, qui Pragæ Bohemorum in eo-

in eodem nobiscum hoſpitabatur diuerſorio, hic ad menſam in multorum eminentium virorum præſentia iam vlulabat, iam crocitabat, iam latrabat, iam huius nunc alterius auiculæ vocem imitabatur, & cantiunculas vocesque ſingularum auium adeò ſuauiter feliciterque & bene æmulabatur, atque exprimebat, vt admirarentur ipſum omnes, & hominem eum eſſe ſubdubitarent, alii ſtupidè ſtupebant.

Sed an voces beſtiarum Magi intelligant? quæſtionis noſtræ membrum eſt, & dignum conſideratione noſtra. Si intelligunt, mirabiliſſimum, aut, ſi ma-uis, mirificiſſimum augurandi genus habent.

Aſt haud credimus, aut ſaltem ægerrimè; Etſi fama ſit & communis PORPHYRII & PHILOSTRATI ſermo, ex quo colligimus, APOLLONIVM Tyanęum omnium auium voces intellexiſſe, quem aiunt, aliquando paſſeres lætantes, & SCRIP, SCRIP, SCRIP, cantillantes intuitum, dixiſſe præſentibus non paucis, illos ſignificare cęteris, aſinum collapſum milium,

quod portabat, disrupto ſacco effudiſſe, quare eſſe vnde genialiter viuerent, & vberrimè paſcerent. Illud cum viſum eſſet miraculum & oraculum audientibus, addunt, nonnullos ſtudiosè ſpectatum accurriſſe, an vera eſſent, quæ nunciarentur, atque ſic rem inueniſſe, vt dicta fuerat. Philoſtrat. & Porphyr. de Anima, hirundinem fuiſſe dicunt, ſed veriſimilius eſt, paſſerem fuiſſe, vt ſcribit Eunapius. Hirundo enim non paſcitur frumento; nec milium nos credimus fuiſſe, ſed triticum. Quis verò neſcit, Apollonium Magum fuiſſe?

Sæpe immenſa caui ſpirant mendacia folles.

Volebat hoc facto fingere, ſe garritus auium intelligere, quod veteres etiam de Tireſia & Melampo fabulabantur. Sed ſunt hæc nihil aliud, quàm vanitates & immundiſſimorum ſpirituum fallaciſſimæ præſtigiæ.

Interim miramur, & ſupra modum admiramur Democritum, qui hanc artem docuit, & pharmaciam ad concipiendam eam præparauit. A quibus ineptiis non fuit alienus Hermes, qui ait, quod ſi quis certo die Calend. Nouemb.

egressus ad venandum, primam auem, quam cœperit, coxerit cum corde vulpis, omnes qui ex ea esuri, auium cæterorumque animalium voces intellecturos. Et Plinius idem credidisse videtur. Vid. Bodin. *Dæmon. lib. 1. c. 5.* & Plinium *libr. 10 c. 49.* Tradiderunt etiam Arabes eos brutorum callere sensa, qui cor & epar draconum comedant, at mentiuntur. Mentitur quoque Agrippa *in Occult. Philosoph.* cum alicubi dicit, esse quandam herbam, qua comesta, hominem omnium auium intelligere voces.

Nam cum aues cæteræq; bestiæ ratione careant, nequeunt discursu vti, qui ad sermonem ex instituto proferendum est necessarius. Fatemur tamen ingenuè & libenter largimur ipsis, posse bestias vocibus suis suos appetitus aut affectus aliquos indicare, & horum notitiam posse diuturna diligentique & accurata obseruatione ab hominibus deprehendi; & posse Dæmonem, qui hos habet cognitos, Magos docere; quod an velit facere, aut an vnquam fecerit, ignoramus; non est incredibile, eum fecisse. Sic admittendum est illud, quod scribit Agrippa

in Occult. Philosoph. libr. 1. cap. 55. Omnis vox cuiusque animalis significatiua est, alicuius animæ suæ passionis, vel affectus læti, vel tristis vel iracundi, quas voces ab hominibus circa has exercitatis intelligi posse, non est adeò admirandum.

Ex istis denique coniicere est, bestias sese inuicem intelligere, quæ sunt eiusdem speciei, quoad affectus scilicet corporis motus & appetitus belluini, docet id experientia. Exemplum habe in scorpio Lybico, qui cum solus hominem ferire non valeret, reuertebatur cum pluribus, & hominem coniunctis viribus adoriebatur. Et in pisce quodam in fractum laqueum euadente, aliisque periculum indicante, & præmonente vt fugiant. Et in alio genere piscium, quod cum sentit, se piscatoris sportulam intrasse non ex antica parte erumpit, nec infestis viminib. caput ingerit ac inserit, sed crebris caudæ ictib. ex aduerso fores laxare incipit, atque ita resiliit, quem luctantem, si alius fortè eiusdem generis viderit, vt erumpere satagantem adiuuet, cauda illius ore suo apprehensa, prout

prout poteſt, eum liberare & extrahere contendit. De Elephanto denique dicunt, quod ſi in lutum inciderit, ex quo eluctari & ſeſe extricare nequeat, clamaueritque, vt ſocius id aliquis exaudiat, ſocium conuocare gregem Elephantorum, & adducere, vt opera communi ſeruent immerſum. Ad hoc Porphyrius conatus fuit probare aues ſcientiam habere vocis cantusque ſui generis auium, & quod ipſis commodum ſit, aliis oſtendere; huic conſentientes, ſubſcribimus.

QVÆSTIO XIV.

An poſſit Dæmon facere, vt homo ſit ἀναίσθητος, id eſt, vt non ſentiat, vel vt longiſſimo tempore dormiat, aut famem longiorem ſuſtineat?

VT incipiamus ab vltimis, nemo ambiget, poſſe Diabolum efficere, vt homo aliquot menſium ferat inediam, cum id naturaliter contingat. Et ſunt auctores, qui multorum annorum

agnoſcunt famem naturalem; licet Hippocrat. libr. de Carnib. neget vltra ſeptimum diem famem naturaliter prorogari poſſe. Quod verum eſt; ſi de illis intelligatur, quibus ventriculus & ieiunum inteſtinum humore chiloſo vacant, in quẽ calor naturalis poſſit agere. Tum enim fieri ſolet, vt inteſtinum illud interea concreſcat, atque ita homines emoriantur. Verùm ſi in corpore fuerit reſiduus humor phlegmaticus, crudus, lentus, viſcoſus ex morbo, vel alia cauſa præcedente prouenieus, illo naturalis calor vtetur pro alimento, & homo viuet ſine cibo & potu, donec totus abſumatur, abſumpto homo morietur. Idem futurum dicemus, ſi ex cerebri humectatione materia quædam ſubtilis & pituitoſa à capite in corpus deſcenderit, atque corpori in alimentum & pabulum ceſſerit. Tunc enim quicquid à corpore expiratur vel difflu-it, id continuò ab hoc humido in pabulum conuerſo reſtituitur, nec ſic homini cibo opus erit, donec hic humor penitus conſumatur & deficiat.

Hanc inediæ longæ cauſam fuiſſe arbitramur in virgine, biennium ſe à cibo

abſti-

abstinente, & postea pro more hominũ cibum resumente. Caspar Hed. *lib. 7. c. 14.* Et in puella ex pago Rod non procul à Spira, per aliquot annorum spatium cibos prorsus nullos assumente, corpore interim vegeto, viuido & fortissimo, nec macie tentato vlla, quæ Ferdinandi Imperatoris iussu Medicis obseruanda & custodienda tradita, ad inquirendam rei veritatem, qui tum nihil doli aut fraudis subesse animaduertebant, & diligenti obseruatione obseruabant. Casp. **Goltwurm** *de Mirac.* Similia ieiuniorum exempla pete ex Hen. Cornel. Agrippæ *Occult. Philosoph. lib. 1. c. 58.* Prompt. Hondorff. *Præcept. 3.* Consule etiam Wierum *in libell. de Commentit. ieiuniis.* Notandum, quod venerandus noster Agrippa *d. libr. & c. 13.* esse annotet quandam herbam Spartanicam siue Scythicam, qua gustata, vel saltem in ore retenta, Scythas XII. dierum famem sustinere. Hæc si naturaliter fieri possunt, cur minus efficere possit versutissimus Dæmon, non videmus? Absit verò vt sanctorum hominum excedentia naturam ieiunia in hanc classem annumeremus. Deus enim eos

ſine corporali ſuſtentat cibo, diuina ſua virtute.

Huc refer Nicolaum de Petra vitam agentem angelicam & XXII. annos absque cibi corporalis vſu traducentem; & fœminam in XXX. annum nihil cibi capientem.

Nugiuendulus autem eſt Rogerius Baconius, hoc ſtellarum influentiis adſcribens. Cur hoc ſi ita eſt, vni duntaxat, & non alteri quoque vim hanc tolerandæ inediæ, in commune ſuum influxum demittentes largiuntur? Sed heus Rogeri nuces repete tuas, atque bulgæ tuæ eas ingere & lude cum aliis.

Diuertamus iam ad alia. Quæſtionis etiam eſt, an Dæmon facere poſſit, homo ne ſentiat? non ita vt corpus prorſus ſit ἀναίσθητον, & nullam habeat ſentiendi poteſtatem; ſed vtrum poſſit efficere, actu ne ſentiat, quod natura ſenſile eſt? Teſtis eſt Iamblichus noſter *de Myſter. Ægypt.* multos Prophetarum admoto igne non vri, vel ſi vrantur aduſtionem non ſentire, nec alia tormenta qualiacunque? ſubdit fieri illud, ſi NVMINE afflentur. Numini acceptum refert, quod

quod ignem repellat, & cætera hebitet.

Sed quod illud est NVMEN Iamblichi Magi? dic bone Iambliche! an non Dęmonium? Qui isti sunt vates, qui Prophetæ? an non Dæmonis intimi, an non eius familiarissimi? id est, Magi?

Quare euidenter hic videre est, hinc colligere est, quid Dæmon hac in re possit, ex quo nostræ quæstionis effatum redditur probabilius.

Post illa constat etiam omnibus, Gentiles censuisse Magico carmine aciem gladii sic retundi posse, ne vel leui vulnere cutem queat perstringere nostram. Quid? quod hodie quidam impii & temerarii milites inueniantur, se immunes & tutos fore ab omni omnium armorum vi, atque adeò inuulnerabiles; existimantes, si certo ritu arma incantent, vel impio & sacrilego ausu CRVCIFIXI imaginem compungant, detruncent, confringant, imminuant; vel si gestent & superinduãt indusia lintea, formidabilibus picta, & inscripta imaginib. ad for-

ad formam facierum, siue laruarum Diabolicarum, **mit Teuffelsköpffen**/ quæ indusia ab inferno nomen habent, **Hellehempter**/vel à Diabolo, **Teuffels Röcke**/ aliis dicuntur **Nothembter**/ & nomen sortiuntur, quia in necessitate vsurpantur, & suum præstant auxilium. Wier. *lib. 5. c. 18.* Spreng. *in Mal. Malef. part. 2. q. 1. c. 16.* vel si de collo suspendant, ferantque periapta; vel vestibus insutas membranulas variis characteribus ac barbaris Dæmonum nominibus insignitas penes se habeant, quales nos vidimus, legimus, & inuenimus, cum apud nobiles, tum ignobiles. Sunt qui oratiunculas quasdam sine dubio à nefario & impio aliquo Magicæ artis Magistro impiè conscriptas à latere habent, quas falsò & mendaciter adscribunt D. Leoni, vel Carol. Magno Imperat. Sed reuerà nugæ sunt, quas Diabolus suis cultoribus vendit & obtrudit, vt habeant queis sese oblectent, aliosq; eò facilius illaqueent & strangulẽt. Oratiunculæ istæ cum paucis diebus ante ad nos ex Italia typis elegantissimè excusæ venirent, eas vt vidimus, vt legimus, abiecimus ac detestati sumus, tan-

quam

quam Diaboli ſacramenta, deß Teuffels Heiligthumb/ capiant qui velint. Martin. Delrius nouiſſe ſe ſcribit Studioſum quendam, nomine Quirinũ, I. V. Baccalaureum, ſchedula eiusmodi confiſum: poſtquam ſeſe audaciter ſæpè ac petulanter multis iurgiis, multis pugnis immiſcuiſſet rarò ſaucius, tandem Romæ in ſympoſio accepto leuiculo vulnere, miſerè periiſſe. Huc referendam eſſe ſentimus hiſtoriam de Scaphio, quam hisce auctor Formicarii recenſet verbis: „In territorio Bernenſium primus auctor „veneficiorum fuit quidam Scaphius di„ctus, qui publicè de hoc gloriari ſole„bat, quod quandocumque vellet, ipſe „ſe omnium ſuorum in æmulorum ocu„lis veluti murem facere valeret, & dilabi „à manibus inimicorum ſuorum letha„lium: & ita capitalium ſuorum inimi„corum manibus ſæpe, vt dicitur, euaſit. „Sed cum terminum eius malitiæ diuina „iuſtitia facere voluit, tandem per hoſtes „ſuos in ſtuffa quadam prope feneſtrã „quandam ſedere explorabatur cautè: „quo in loco, cum nullum de ſibi inſidi„antibus ſuſpectum haberet, per fene„ſtram

ſtram gladiis & haſtis inopinatè trans- „
fixus eſt, & ob ſua facinora ibi mor- „
tuus miſerabiliter. Hæc Niderius.

Videsne vt Dæmon ſuos deludat, vt circumueniat, vt pręcipites det in pericula, ex periculis in præcipitia peccatorum, ex peccatis in barathrum inferni?

Porrò tormentorum etiam ſęuitiam ſcimus quotidiè maleficos in eculeo eludere & contemnere, omnem cruciatum vel riſu, vel ſomno, vel ſilentio ſuperare; idque cooperante clam Dæmone. Hi enim pacto nitentes Dæmoniaco, plerunque periaptis & oſcillis, vel cineribus infantulorum ante Baptiſmum necatorum vtuntur. Spreng. *part. 3. quæſtion. 14. capitulo decimo quinto.* vel corpori alligatis membranulis, cum certis characteribus, aut malo carmine. Exempla ſuggerunt, qui de criminalibus iudiciis ſcripſere.

Alii inunctiones adhibent & pharmaca naturalia ex opio, ſolano, & ſimilibus confecta, quibus perturbatis prius humoribus, ſopor altus conciliatur, neruorum origines obſtruuntur, ſenſus ſtupeſit,

pesit, sensatio impeditur; quod ipsum Dioscorides & Albertus Magnus *libr. secret. pag. 363.* tradunt de Memphite lapide, qui tritus ac membris, quæ vrenda, secanda, torquenda sunt, adfricatus, vel cum aceto adlinitus facit membra obstupescere, vt nullum sentiant cruciatum, imò & totum corpus in stuporem resoluit, vt refert Paris. de Puteo *in tractat. de Syndicat. cap. de tortura. leg. 2.* Item Grilland. *de Tortur. capit. 4.* De Memphite acutè differentem vid. Scalig. *exer. 331. sect. 3.*

Similem Dæmonis operationem demonstrant vestigia illa, siue notæ à Dæmone vnguibus impressæ lamiis, vbi totus ille locus, cui vestigium inhæret impressum, ita exsanguis est, ac sensu labefactatus omnino, ne acus quidem altissimè admissa, aut dolorem faciat vllum, aut sanguinis eliciat guttulam. Vide eleganter & copiosè Remigium *libro primo Dæmonolatriæ, capite quinto.*

Nunc reliquis occurramus: Narcoticis istis Pharmacis diuturnus somnus con-

conciliari poteſt, vt fuit ſomnus iſtius ruſtici, qui ſeſe ſub fœni aceruum reclinans, continenter ibi autumnum & hyemem dormiuit: vt fuit ſomnus ſcholaſtici cuiusdam Lubecenſis, qui ſe Lubeci in templi ſpelunca abdens, illic VII. totos annos dormiuit, & experrectus à ſuis fuit agnitus. Albert. Crantz. *lib. 8. c. 39.* Hæc recentiora! plura petes a Fincelio *lib. 1. de Mirac.* & Epimenidis Cretenſis Theologi, qui an. XXXXVII. obdormiuit in ſpelunca, quam fuerat ingreſſus ambulando & quærendo ouem amiſſam feſſus: (alii numerant plures annos, vt Laertius & Pauſanias LXXVII. alii pauciores) & ſomno ſolutus, putauit, ſe paulisper dormitaſſe, & ouiculam quærere perrexit. Vnde natum Prouerbium: *Vltra Epimenidem dormire.*

Huius diuturnæ quietis ſiue ſomnolentiæ cauſę naturales dari poſſunt, quod multis probare conatus fuit rationibus Marcus Damaſcenus. Nam cum cæteris, vt inquit ille, animantibus natura conceſſum ſit, vt ſine cibo potuque, ſine excretione, tabefactione, ſine corruptione pluribus menſibus dormire poſſint, id

etiam

etiam homini, siue hoc accidat illi potione aliqua venefica, aut ægritudine soporifera, seu meticuloso quodam sopore, aut similibus de causis, non est detrahendum. Xenocrates verò Philosophorum non infimus longæuam hanc quietem pœnã esse, certis quibusdam animarum demeritis ab æterno destinatã, putauit. Et nos putamus quosdam extitisse, qui somno adeò diuturno oppressi immisso à Deo miraculosè quieuerunt. Tales fuerunt septem dormientes, quorum somnus ann. 196. durauit, & aliorum septem, de quibus Paul. Diacon. & Methodius Martyr. Sed hæc missa faciamus.

QVÆSTIO XV.

An Dæmon possit facere, vt homo mortuus verè resurgat?

SErmo hactenus fuit de iis, qui profundo & diuturno consopiti somno instar mortuorum iacent, illi si opera Dæmonis ita consopiuntur & obdormiscũt, ab ipso ex facili, somno soluti, resuscitari possunt. Sed iam nunc quæstio concutienda venit, an qui verè mortui, arte Dæ-

monis excitati, verè resurgere possint? Negatiuam sententiam tanquam verissimam, tota cohors cum Theologorum, tum Philosophorum nobiscum amplectetur, licet Magi contendant, esse herbas quasdam & Magicas confectiones, quales ex cinere Phœnicis & serpentum exuuiis confici tradunt, (quod lectio Agrippæ suppeditat) quibus mortui ad vitam reuocentur. Xanthus Historicus testis etiam est, herba Bali occisum Draconis catulum, à parente vitæ restitutum, eademque Tillonem quendam, quem Draco occiderat, resuscitatum. Et Iuba refert, in Arabia herba quadam alium reuocatum ad vitam.

Verùm Henricus Cornel. Agrippa rerum occultarum solertissimus & felicissimus perscrutator, à nobis sæpe laudatus, cui nos succum & sanguinem debemus, non pessimè opinatur fieri tale quid posse in animantibus. De homine dubium ipsi est. Certum & manifestum, inquit ille, est, muscas submersas si ponas in cineribus tepidis reuiuiscere, & apes submersas similiter vitam recuperare in succo nepetæ, aut in ficulneo cinere;

&

& anguillas aquæ defectu mortuas, corpore integro existente, si ponas sub fimo, in aceto, & addas quid de sanguine vulturis, paucis diebus post reuocari ad vitam; remoram siue echeneidem si in frusta discerpas, & in mare proiicias, paulò pòst partes conuenire, coalescere, reuiuiscere; & Pellicanum pullos mortuos sanguine proprio vitæ restituere. Leunculum quoque defunctum voce & spiritu parentis resuscitari. Idem mustelę ius esse in Catulo audiuimus. Vid. Occult. Philosoph. *libro primo, capite trigesimo octauo.*

Censemus equidem animalia ęquiuoca, quæ per putrefactionem etiam nascuntur, ea posse à Diabolo viuificari naturalibus remediis, quia Diabolus nouit vim caloris putredinalis & alia requisita. Attamen animalia eiusmodi non erunt eadem numero, licet materia, si modo ea nondum fuerit corrupta, eadem sit; anima non erit eadem de nouo eius potentia producta, cum ea quæ perierat. Nam à priuatione ad habitum non datur regressus. Aristoteles *5. Phys. & 2. de generat.*

Exinde aſſerimus, cum reſurrectio requirat numericam identitatem reſurgentis, tum quoad formam, tum quoad materiam, earumque vnionem, eandem ſaltem ſpecificam; ſolum hominem rectè & præcipuè dici reſurgere. Homo enim, vt qui ſolus immortalis, eandem retinet formam; cætera inſecta, ſi quando viuificantur, impropriè reſuſcitari dicuntur. Simpliciter igitur loquendo, nec animantia vt reſurgant efficiet Dæmon. Multò minus valebit animalia perfecta, ſiue vniuoca, vitæ reſtituere, cum illa perfectiores requirant diſpoſitiones, accuratioremque organorum ſingulorum præparationem, quæ non niſi naturalis ſeminis virtute confici poſſunt. Quamobrem ſi fortaſſis talia nonnunquam ſunt viſa reuiuiſcere, aut ope Magorum ſiue Medicorum excitata reſurgere, exiſtimandum eſt, ea nondum fuiſſe mortua, ſed mortuis ſimillima, vt ſunt animalia quædam, quæ certis anni temporibus immota quieſcunt, quaſi mortua, aduentante iterum vere à calore excitantur & prodeunt, vt quæ vitæ reddita: accidit hoc gliribus, vrſis & paſſeri vitulino

lino apud Mexicum teſt. Cardan. *lib. 7. de rer. varietat. c. 36.* Idem hominibus, in quibus mirabilius eſt, quibusdam in Leucomoria regione Ruſciæ habitãtibus, quotannis à 27. IXbris, ad 24. April latentibus, contingere ſcriptum reliquit Guaguinus *in deſcriptione Moſchouiæ*, & idipſum ex relatione Sigiſmundi Baronis de Herberſtein, & Michaelis Bapſt/refert Henricus Kornmannus *libr. de Miracul. mortuor. part. 2. c. 21.* Quod totum nobis fabuloſum videtur: aut ſi verum, tamen præſtigioſum, & arte Dæmonis confictum, qui in mancipia ſua in iſtis regionibus mirè & efficaciter illudit, homines diabolicè vexans, ad diſſidia & bella eos accendens & inſtigans (vt Neuros vexat in Lycanthropia.) Et prolixius narrando addit Guaguinus, eos, cum ſibi mortem imminere ſentiunt, merces ſuas certis in locis deponere, quas Gruſtenſii & Sarponovvutzii in confinio populi ſuis mercibus interim æquiualentibus eodem loco relictis auferunt: illi reuiuiſcentes permutatas merces, ſi iuſtæ videntur, pro ſuis accipiunt, ſin minus iuſtæ probæq;, ſuas repetunt; vnde lites

& bella sæpissimè inter illos oriuntur, ad nutum & ad voluntatem Dæmonis colludentis.

Ad priorem fraudem refer, quod refert Petrus Aponensis, visum à se præstigiatorem, qui taurum ei in aures concepta quædam verba immurmurando ceu mortuum humi prosternebat, illumque repetitis eisdem verbis suscitabat, atque in pedes erigebat: hic si taurus reuera fuisset mortuus, nulla vi Magica suscitari potuisset, vt fatetur Zambre Magus Iudęus. Illud enim neque Dęmoni, neque Dæmonis seruulo possibile est, sed soli Deo, & cum quo ipse communicauerit; sicut B. Germano Britonum Episcopo, qui asinum in vitam reuocauit, vt insigni miraculo ostenderet, solum asinum præ cæteris post hanc vitam immortalitatis participem reddi, & æternæ vitæ consortem fieri. Agrippa in Encomio Asini, quod fortassis ioculariter dictum alicui videbitur.

Cum igitur præstigias Satanæ & Magorum hic deprehendamus, vel tum maximè etiam cœcutientibus eæ obuiæ erunt, quando promittunt, se ex lapidi-
bus,

bus, lignis, leones luposque productu-ros.

Tales præſtigiatores nos vidimus, qui in ſpectaculis publicis, ex terra ſubitò exiſtere & prodire leones, luposq; facie-bant.

Aſt demens adeò, adeò ſtupidus & inſenſatus quis eſt? qui ignoret eiusmodi animalia perfecta, citra ſupernaturalem vnius Dei potentiam, nulla ratione gi-gni poſſe, niſi ex ſemine, nec ad iu-ſtam menſuram & magnitudinem, niſi ſtatis temporum interuallis, peruenire poſſe.

Nunc ad hominem deueniamus, in quo ſuſcitando prorſus prorſus nullam Dæmonis poteſtatem agnoſcimus. Nul-lo modo poteſt Dęmon efficere, vt ho-mo à mortuis reſurgat; ſiue vt anima ho-minis corpus ſuum ſubintret, illud in-formet atq; viuidum reddat: quia à per-fecta & totali priuatione, vt docet Phi-loſophia, non datur ad habitum regreſ-ſus. Res igitur hæc cum ſit plena miracu-lorum, ſoli DEO competit. Nequit etiam Dæmon corpus informare, quia ſubſtantia perfecta ſubſtantiam aliam

vt partem non producit aut comparat. Nec animam à corpore separatam rursum illi immittere potest, vt id informet: Ratio est, quia vnicus est modus naturalis vniendi animam corpori, per generationem scilicet corporis, & infusionem animæ. Supernaturalis modus est, qualis interuenit in resurrectione mortuorum, soli Deo competens & possibilis. Hinc rectè venerandus Agrippa docet *in Occult. Philosoph. lib. 3. c. 42.* eum, qui animas corporibus verè restituere velit, scientem esse oportere, quæ animę sit natura propria, vnde progrediatur, quantis & quot gradibus perfectionis referta, qua intelligentia communita, quibus mediis in corpus diffusa, qua harmonia cum ipso fuerit compacta, quam affinitatem habeat cum Deo, cum intelligentiis, cum cœlis, elementis, cæterisq; omnib. denique quibus influxibus compaginatum sit corpus; hæc omnia requirit ars suscitationis mortuorum, quæ non hominum, non Dæmonum est, sed solius Dei, in quem solum cadit, & cui ipse participare velit. Sicut Elisæo viuenti & mortuo; qui viuus filium Sunamitidis mor-

tuum reuiuiſcere fecit, *lib. 4. Reg. c 4.* mortuum alium mortuus vitę reſtituit, *4. Reg. c. 13.* Sicut Eliæ Prophetæ, qui Sareptanę viduæ filiolum, vnicum eius vitæ ſolatium, vitæ viduæ redditum reſtituit, *lib. 3. Reg. c. 17.* de quo doctiſſimè diſſerentem quæſumus induſtrius lector videat Franciſci Valleſii Sacram Philoſophiam *cap. 35.* Et ſicut Beat. Antonio, cuius corpus cum à Theophilo duceretur per eremum, inuenit in eremo tria mortuorum cadauera à beſtiis occiſa, quib. cũ impoſuiſſet Theophilus B. Antonii corpus, ocyus ſurrexere, & ſequuta Beati corpus vſque ad Conſtantinopolim, quemadmodum extra iocum religiosè & reuerenter ſcribit Diuinus Agrippa *in Serm. de inuentione reliquiarum. Beat. Anton. Eremitæ.*

Sicut denique Beat. Ceslao infantem aquis ſuffocatum poſt dies octo vitæ reſtituenti, & tres alios ſuſcitanti, & Stanislao Epiſcopo Cracouienſi, qui à mortuis ſuſcitatum coram Rege ſiſtebat, & hominem alium à triennio mortuum reuocabat ad vitam. S. itidem Iacintho de familia Comitum Odrouons, duos ado-

lescentes in aquis submersos in vitam restituenti, & alios tres diuersis temporibus & locis excitanti. Cęterisque Sanctis natione Polonis eadem & similia multa miracula adsistente virtute diuina edentibus, quorum seriem & ordinem beneuolus & pius Lector piè ac reuerenter penitiusque introspiciet, si viderit Tabellas decem Generosissimo puero Thomæ Zamoyski, Iohannis Regni Poloniæ Magni Cancellarii & exercituum Præfecti filio dicatas, Coloniæ ære elegantissimè excusas & affabrè extructas, sumptibus Petr. Ouerradt, Typograph. Coloniensis.

De cæteris. Potest Dæmon insinuare se in cadauer defuncti alicuius, illud gestare, mouere & alia facere, omniaque viuentis opera æmulari, ad tempus, ex quibus videatur viuere, quod Magi ex pacto per superiores Dæmones inferiores sępissimè cogunt ita moliri & efficere, vt ingressus, gestus, motus ad viuum repræsentent, edant, bibant, ludant, gaudeant, genialiter viuant, Veneremque exerceant. Huc facit Citharistriæ Bononiensis historia admirabilis, quam habet

habet Peucer. *de Diuinat. gener. pag. 14.* Et de Clerico illo supra humanam sortem vocis suauitate excellente. Et historia alia non minori digna admiratione, de Nobili Bauaro & sua coniuge ex orco redeunte, domi rem curante domesticam & liberos parturiente, de qua sup. quæst. IX. recenset rem pluribus Geor. Sabin. *in Interpretat. Fab. Ouidian. libr. 10.* Vid. etiam Promptuar. exempl. Hondorffii, *Præcept. 2.* Huc & illud mirum Coloniensis, quod edidit vxoris cadauer, ex busto & inferno per auaros pollinctores erutum, domum rediens, marito prius mœsto derelicto gaudia reddens, & trium filiorum patrem eum faciens; cuius rei simulachrum ære concinnè excusum superioribus diebus Decembris vidimus Wormat. in celebri diuersorio, cui Index aureus Cygnus. Huic loco annectit Martin. Delrius, factum Louanii, quod contigisse ait, de Henr. Cornel. Agrippa, & commensali eius Studente curiosulo, quod omnino falsum esse pronunciamus, & pro menstroso mendacio in caput Agrip. à maleuolo quodam confictũ & contortum, idq; non factum, sed fabulam denominamus.

Sed

Sed obiiciat nobis aliquis, non Poetarum ſolùm, ſed & Gentilium, aliorumq; Hiſtoricorum de reſuſcitatis, & ex inferno reuocatis, narrationes hiſtorica fide comprobatas, aut vetuſtatis fide tutas. Nam multos legimus ipſi, aqua ſubmerſos, alios ignibus iniectos & rogo impoſitos, alios in bello occiſos, alios aliter exanimatos, poſt plures dies reuixiſſe. Quemadmodum de Auiola viro Conſulari, de L. Lamia viro prætorio, C. Ælio Tuberone, Corfidio, Gabieno & aliis narrat Plinius *lib. 7. c. 52.* De Æſopo fabulatore, Tindareo, Hercule, Glauco & ſimilibus Poetæ, de Zacla Ægyptio; Apuleius *lib. 2. de aſin. aur.* De ſuſcitatis ab Apollonio, Philoſtrat. *lib. 6. de vit. Apollon.* De ſuſcitatis à Simone Mago, Clemens *in Itinerar.* & Ægeſip. *lib. 3. de Excid. Hieruſal.* De à Cynope Prochorus. De Ero Armenio Plat. *lib. 10. de Repub.* Auctores oppidò graues & vetuſti ſunt, rei tamen fidem non iuuantes. Aut enim meræ ſunt Dæmonum & puræ putæ præſtigiæ, & deluſiones, quibus conatur illudere in Filium Dei, aut prorſus ſunt fabulæ, in hoc à Philoſophis confictæ, vt metu inferorum

ferorum à peccatis homines deterriti pietati diligentius studerent, vt illud de Hero Armenio genere Pamphylio apud Platonem. Aliquando etiam corpora mortuorum furatur Dæmon, substituens alia aerea siue elementaria, quæ mouet tanquam vera & viuentia. Ita eum corporis Romuli furem fuisse didicimus ex Liuio, & Cleomedis, & Alcmenæ, & Aristeæ Proconæsii ex Plutarcho & Herodoto. Sic alios ad tempus eum subornasse & substituisse censeamus pro Glauco, Tindareo, Ero & similibus; vel ipsum subeundo eorum exuuias fucum fecisse. Nam, vt paulo antè diximus, permittēte Deo, potestas ipsi est, vt quæ vera cadauera sunt, vel etiam phantastica , fingat viuere, mouens illa, postquam est in illa ingressus, non aliter, quàm nautę nauim, vt viuentium similia opera gestusq; imitentur. Huc refer illud Simonis Magi factum, & Cynopis ex Prochoro, cuius Historiam in lucem edidit Michael Neander, & Iohann. Tritheimii ex Augustino Lercheimer/ & Iohann. Faust. ex context. histor. vulgar. His affinia sunt, quæ narrat Nicol. Remig. *lib. 2. Dæmonolat. cap. 1.* quod elegan-

eleganter & neruosè, vt omnia ſcripſit, quo diligentem Lectorem remittimus, inueniet quo ſeſe oblectet, oculos, animumq; paſcat. Et ſi quis eſt, qui narrationes integras penitius cognoſcere & legere geſtiat, is conſulat Fulgoſ. *lib. 1. de Mirac. cap. 6.* Valer. Max. *cap. 8. lib. 1.* Iohann. Rauiſ. Textor. *in Officin. pag. 602.* Domit. Bruſonium *libr. 4. cap. 9.* & Dn. Henric. Kornman amicum & fautorem noſtrum ſummò colendum, *in de Miraculis mortuorum.* ab ipſo ſtudiosè & doctè annotatas.

Poſtremè ne quid ſilentio prætermittamus, rem fuſiùs tractabimus, ad detegendas fraudes & illuſiones Dæmonis, adumbratoris operum Dei maximi, in his tamen nihil niſi ad ſpeciem præſtantis, adeò vt vel canis podicem inſpicientibus, vel etiam cœcis hæ præſtigiæ illuceſcant, affulgeant & obuiæ ſint. Poteſt Dęmon facere, vt interdum ſpiritus humani corporibus incluſi maneant, & motus occulti ſint, deuinctique ſenſus, adeò vt viuantne, an non, eiuſmodi corpora, non facilè intelligatur, vid. Agrippam *de Occult. Philoſoph. lib. 3. c. 42.*

Fingit

Fingit itaque & ad ſpeciem exhibet mortuos, qui reuera mortui non ſunt; in hoc vtitur non raro immiſſione morborum naturalium, quos ἀφώνους vocamus. Exempli gratia, ſi ſint apoplectici, ſiderati vel attoniti. Hi enim cerebro communi neruorum principio vehementer afflicto, amittunt ſenſum & motum omnium membrorum, quibus amiſſis, inſtar mortuorum concidunt. Item ſi caro, capitis percuſſione corripiantur cum leni febricula, humoribus cerebrum infeſtantibus, adeo vt totius inde corporis ſtupor ſequatur, comitante eum ſomno profundo, fit vt homines luminibus clauſis longiſſimo quandoque tempore ceu mortui iaceant, & extinctæ animæ ſpeciem præbeant. Itidem ſi patiantur animæ deliquium, qui morbus cum inter cætera aliquando motus arteriæ pulſuſque amiſſionem adferat, homines vere mortuis reddit quàm ſimillimos. Nam in hiſce deliteſcit anima, quę poſtea rurſum corpus ſpiritu vitaque imbuit. Hinc lege cautum eſſe conuenit, ne libitinarii ac veſpillones præ-

præproperè, quos ita mortuos existimăt, extinctæq; animæ speciem præbere vident, loculis includunt.

Tali morbo correptum fuisse celeberrimum Iohan. Duns Scotum, & pro mortuo sepultum, plurimi autumant. Iouius in Elog. Simili morbo affectum fuisse Enarchum, qui à Medicis pro mortuo habitus & relictus, (*vt in lib. de Anima Plutarchus scribit*) non multò pòst ad vitam reuersus, resurrexit, & Dæmones illos, qui eum vita abstraxerăt, grauiter à Principe Dæmoniorum increpitos fuisse affirmauit, quod eum pro Nicauda Coriario rapuissent, qui eodem die & hora febri correptus eo morbo decessit. Neque vero hac re contentus, ad testandam resurrectionem suam Plutarcho, qui tunc laborabat, breui incolumem eum fore prædixit, atq; ita contigit. Similiq; morbo afflictum obrutumq; fuisse Auiolam, qui in rogo se viuere proclamauit, & auxilium Pædagogi inuocauit; sed flammis circumdatum Auiolam seruare, aut fato subtrahere non potuit; nostra est sententia. Ex horum nosodochio non relegandus videtur Pamphylius ille Platonicus, qui

qui decem diebus inter in acie cæsos delitescens, ad rogum allatus, incalescens, reuiuiscens miranda tempore mortis mentitæ sibi visa narrauit. His vltimò adde, quem Asclepiades tempore Pomp. Mag. Medicus celeberrimus, mortuum è funere retulit & seruauit.

Fœminas denique, quæ strangulationes matricis & hystericas passiones sustinent, quarum vulua, vt inquit Plinius, si corrigatur, spiritus restituitur, pro mortuis sæpè iacere, in confesso est. Ita mortuam fuisse puellam illam, quam Apollonius ad vitam reuocauit, nostra est sententia. Idem de Alceste quadam ab Hercule vitæ restituta; & de illa similiter, quam Heraclides post septimum diem, qua discesserat, ad vitam rediisse testatur, iudicamus.

Sed satis multùm diuq; in præsentiarum de præstigiosis, aut simulatis, aut tantùm in speciem factis resurrectionib. diximus, à quibus CHRISTI IESV humani generis redemptoris, vitę ipsius datoris, miraculorum verissimorum verissimi artificis; aliorumq; sanctorum virorum miraculosas resuscitationes, ex

facili cuiuis erit diſcernere, & artificem ab impoſtore & præſtigiatore dignoſcere.

Te nunc ô dulciſſime & mitiſſime IESV CHRISTE, lucis ac vitæ dator ac conſeruator, te ſeriò & ardenter oramus, vt nos miſellos homunciones in reſurrectione vniuerſali mortis ſomno ſolutos reſuſcites, non cum iniuſtis ad ignominiam, ſed ad gloriam cum omnibus iuſtis nos recipias, nos, qui nos tibi damus atq; tradimus in manum, vt nos tecum & te nobiscum nobis reddas, qui ſumma es bonorum omnium, ſemper adorandus cum Patre & Spiritu Sancto, viuens glorioſa per omnia ſecula.

QVÆSTIO XVI.

Quæ Magorum poteſtas in ipſos Cacodæmones, & in Spiritus Familiares?

IN comperto eſſe arbitramur omnibus ſani cerebri ſanæque mentis hominibus, nihil virium Magis in bonos Angelos eſſe; in malos verò nihil etiam ἐξουσίας ſeu poteſtatis eos habere, non ſolùm δηλὸν, ſed & ἀείδηλον eſt, NISI EX PACTO.

Fingunt

Fingunt ac ſimulant itaque Dæmones, ſe à Magis cogi, quibus ſpontè & vltrò obtemperant, vt plures irretiant, irretitos tenacius retineant, ſuaque in naſſa arctius conſtringant, dein ex charybde in ſcillam propellant. Ratio eſt, quia ſpiritus ſuperiores ab inferioribus hominibus nullo modo cogi poſſunt. Nulla enim ſubſtantia corporea poteſt agere in ſubſtantiam incorpoream, eiq; vim aliquam inferre. Exinde infertur primò, vanam eſſe iactantiã Magorum de poteſtate in Dæmonas. Ergo nulla? Diximus *ex Pacto*. Cum igitur omne imperiũ, omnis ἐξουσία Magorum in Dæmonas oriatur, pendeat & conſiſtat in fœdere ſiue pacto cũ iis inito; ſequitur ſanè, ſi Magus quiſpiam pactũ & amicitiam (quam Peucer non ineptè λυκοφιλίαν indigetat) habeat ac colat cum ſuperiore, nõ poſſe Magũ vim facere huic ſuperiori, poſſe tñ ex pacto per hunc ſuperiorem ex iure amicitiæ & pacti famulantem, iuuantem inferiores & debiliores cogere ad faciendum aliquid, aut ad omittendum. Luculenter admodum id docet Cynops Magus apud Prochorum; vbi cum D. Iohannes Dæmones in-

terrogaret, cur Cynopi parerent, vnus eorum respondit, quia omnis virtus Satanæ in ipso inhabitat, ex eo, quod fœdus, pactum, coniurationem, fecit, iniuit cum vniuersis nostris Principibus, & nos pariter cum ipso: Cynops nobis obsequens est, & nos ipsi. Hinc datur Magis in Magos potestas, qua effectus alter alterius impedit, vel alter alterum malè mulctat & commitigat, Deoque admittente, interdum ad necem diuerberat; quæ ipsorum concertatio est quasi conflictus Dæmonum, queîs cum illi Magi sunt in fœdere. Eiusmodi conflictus, certamina, prælia fuisse sæpè commissa, meminere Scriptores, experientia etiam clamat. Narrationes cum longiores sint, quàm vt hoc loco & tempore adscribantur, legere volenti digitum intendimus in Sax. Grammat. *Hist. Dan. lib. 1.* vbi prælium Hadingi & Theuningi prolixè descriptum. Olaus *lib. 3. c. 20.* Godelman. *lib. 1. de Lam. c. 3.* Rudolph. Widman. *in histor. Faust. part. 2. c. 43.*

Secundò infertur, nulla verba, (hic Aureolum, Agrippam & Grillandum hallucinari audimus) nullas res corporales

rales habere facultatem directè & ex se Dæmonem cogendi, vt appareat, aut disparcat, accedat, fugiat, aliquid faciat, aut facere desinat; cum Dæmones natura sint superiores hominibus, etiamsi rerum naturalium, veluti metallorum, gemmarum, stirpium, radicum, aliarumque quisquiliarum, etiam characterum, figurarum, precationum, obtestationum atque verborum quorumcunque vim in subsidium adsciscant. Hæc enim omnia, vt per se sunt exigua, non possunt cum Dæmonis potestate conferri. Hinc optimè Nicol. Biesius *libr. 3. de Nat. cap. vltim.* Naturalibus, inquit, viribus, quibus Dæmones superiores sunt, compelli non possunt, vt faciant id, quod sæpè præstant, sed sponte cum Malo se coniungunt, vt omnia deteriora fiant, in perniciem eorum, qui talibus rebus delectantur. Quare Magis non patrocinamur, aut adsentimur, qui varia proferunt remedia naturalia contra Dæmones; vt Hermeti, qui suffumigatione ex ligno aloes, vel ceti spermate Dæmones congregari, suffumigatione ex sulphure fugari tradit; vt Agrippæ, qui suffitum ex Coriandro,

dro apio, siue hyoscyamo cum ruta idem efficere; item ex radice cannæ ferulæ, cum succo cicutæ & hyoscyami & tassi barbassi & sandalo rubeo cum papauere nigro factam confectionem, & suffitum facere, vt appareant Dæmones & figuræ extraneæ. Vid. *Occult. Philosoph. libr. 1. cap. 43. & lib. 3. cap. 32.* vbi Agrippa noster malis immiscet bona, putridis sana. Nec Porphyrio, Proclo, Psello, qui similia multa deblaterant. Nec illi apud Hippocratem libr. de Morb. sac. futiliora effutienti. Neq; placet superstitiosorum exorcistarum modernorum superstitiosa superstitio, qui Dæmonas suffitum cornu caprini, & cuiusuis stercoris, præcipuè humani, odorem molestissimè ferre autumant. Neque eorum, qui ruta ac hyperico (ob id fuga Dæmonis dictum, nobis S. Johannis Kraut oder Hardhäw/) Dæmones fugari credunt; aut qui balneis, flagellationibus idem adscribunt. Quę deliria & anicularum deliramenta doctissimè refutauit doctiss. F. Vallęsius *in sac. Philosoph. pag. 118.*

Obiiciet nobis hic fortassis aliquis, quod Eleazarus apud Ioseph. *libr. 8. dę Iu-*

daic.

daic. antiquitat. radice quadam Dæmonem extraxerit. Respondemus id factum esse ex signo Pacti, quod Eleazarus Magus habebat cum Dęmone. Vide Benedict. Perer. *lib. 1. de Mag. c. 3.*

Iterum obiici potest loc. Tobiæ *c. 6. v. 8.* cordis piscis Callionymi portiunculam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dęmoniorum, & extricasse legimus *c. 8. v. 2.* Respōdemus, fumum piscis Callyonimi nō directè dæmonem fugasse, sed Raphaelem Angelum, vt tota ipsi actio in contextu attribuitur, Dæmonium ab ea, ipse scilicet Raphael, compescuit, *c. 12. v. 3.* Vid. Formicar. Nider. *cap. 12.* Flagel. Dæmon. Mengi *cap. 3.* Wilhelmum Zepperum *in leg. Mosaicar. Forens. explanation. libr. 4. capit. 4.* minimè ineptientem, & non pessimè cum Francisc. Iunio & Timplero *in Metaphys. libro quarto, quæstion. 32.* sentientem. Tertiò ad citharam Dauidicam inuitare aliquis nos posset. Sed nihil aduersum. Nam Dauide pulsante citharam, diuina vi Dæmon abigebatur, quia non tam ob dulce melos & soni numeros fugiebat Dæmō, quàm diuinos hymnos,

quos Citharista cantando recitabat. Plurimi nihil hic naturale censent interuenisse, sed sola vi diuina effectum dicunt. Ast nos causam naturalem cum diuina coniunctam existimamus, & admirandum illum effectum in vtramque referimus. Suauitas Musices in Saule perturbato, pergrauiter vexato, & mirè à Dæmone excarnificato, sedabat melancholiam, humores corporis contemperando, sedemque Diabolo gratam & amœnam disiiciebat: Virtus diuina Dæmonem expellebat, profligabatq;. Hæc est sententia Fran. Vales. *in Sac. Philosoph. cap.28.* cui libenter subscribimus, sententiam eius suauiter exosculantes, licet illa Clementis Timpleri palato Philosophico non arrideat, *d. lib. & quæst.32.* Nec est, quod quis sibi persuadeat, Dæmonem adeò esse mollem & delicatum, vt musicæ dulcedine delinitus, & suauitate captus, ac ebrius mitescat, atque hominem torquere sinat. Quæ Magorum Saturno lugubrem cantum, cæteris Planetis hilarem ac lætum offerentium stulta opinio, iam olim à Guilh. Paris. *part.3. de vniuers. c.48.* explosa & exibilata est.

Tertiò

Tertiò denique firmiter ſtatuimus, falſam eſſe eorum perſuaſionem, poſſe Dæmones à Magis cogi, ligari in vitris, phialis, ſpeculis, annulis, pugionum, gladiorum capulis, cryſtalli ſoliditati, tanquam carceri includi. Dæmones enim ſemper voluntariè adſunt, vel ſuperiorum Dæmonum imperio coacti, ſeque carceri includi ſinunt (hic damnanda Hermetis, Agrippæ & aliorum commentatio, qua ligandi Dæmones præcepta tradidere) de qua re aureis digna literis Henrici Langenſtein de Haſſia Theolog. & Philoſoph. inſignis olim in Vniuerſitat. Wiennenſium Profeſſoris, verba ſubiicere non piget; IPSI DÆMONES SIMVLANT SE CAPTOS, VT TE CAPIANT, SE VINCTOS, VT TE VINCIANT, SE TVO IMPERIO SVBDITOS, VT TE SIBI SVBDANT, A TE INCLVSOS, VT TE FINALITER INCLVDANT, FINGVNT SE TVA ARTE VEL IMAGINI, VEL LAPIDI ALLIGATOS, VT FVNIBVS PECCATORVM TE COLLIGATVM AD INFERNVM PERDVCANT.

Poſtremò infertur omnino ſponte inſeruire & famulari hominibus Spiritus

 illos,

illos, quos vulgus FAMILIARES ſeu MAGISTELLOS, ſeu MARTINELLOS vocant, qui Græcis, quod aſſiduè adſint, nutumq; Dominorum obſeruent, Πάρεδροι, quaſi Aſſeſſores & Conſiliarii dicuntur. Tale Dæmonium familiare fuit Simonis Samaritani canis, ad limen oſtii cubans & alloquens Petrum. Tale Dæmonium fuit Iohannis Fauſti canis ater & piloſus, cui nomen Præſtigiar, donatus aliquando Abbati cuidam, qui eum ad vitæ ſuę finem aluit. Widman. *in hiſtor. Fauſt. part. 2. cap. 6.* Talem canem dæmoniacum habuiſſe fertur Papa Syluest. II. ſibi adeò carum, vt maluerit regno Neapolitano priuari, quàm canem diabolicum amittere, vid. Widm. *part. 2. cap. 23.* Similem præſtigioſum canem habebat Nobilis quidam Baro ex Gallia, is in venatione quadam à Domino aliquando increpatus, in auram ſubleuatus, euanuit.

Et Laurentius quidam Magus ſimilem alebat Romæ, qui ſæpiùs coram multis cum Domino colloquebatur. Et ruſticus quidam maleficus apud Vogeſos, ſi quãdo cum popularibus diſcumbebat, pedi-

bus

bus eiusmodi canem diabolicum aduolutum habebat, cuius opera vtebatur ad necandos homines, clam demissa manu ab eo venenum capiens, quod deinde cui volebat, infundebat, ex quo satis multi occubuere, priusquam illius fraudis vlla in eum transferebatur opinio & suspicio. Sic Andreas Italus & præstigiator canem cæcum & rufum ducebat, qui vniuscuiusque arcana aperiebat, stupendaque alia plura edebat, de quo *quæstion. 13.* Talem Magistellum seu Spiritum Familiarem fuisse Hen. Cornel. Agrippæ atrum canem, indiuiduum eius omnium itinerum, omniumq; viarum comitem, perpetuumq; assеclam, Gallico nomine Monsieur (quod Dominum sonat) nuncupatum, asserunt multi; licet id Io. Wierus Agripp. famulus & discipulus pernéget. Sic Facius Cardanus, Hieronymi Cardani pater, Dæmonem, vt ipse dicebat, æthereum diu, annos scilicet 33. habebat familiarem, vt refert Cardan. *de rer. varietat. libro decimosexto, capite nonagesimo tertio.* Et alibi fatetur, patri suo septem fuisse spiritus, qui de rebus variis ac mirificis cum eo disputarint, & ex

ſcriptis Auerrois Medicorum Principis, res abſtruſas & antea incognitas enuclearint. Et Petrus Aponenſis, Magus, Medicus, & Philoſophus inſignis & incomparabilis, ſeptem Spiritus Paredros ſeu Familiares in vitro anguſtiori incluſos habebat, qui ſeptem liberalium artium cognitionem perfectiſſimam ipſi tradebant. Cęterum eiusmodi ſpiritum domeſticum & familiarem fuiſſe coruum illum Ciuis Erphordienſis, qui aliquando tacitus & mœſtus domi reſidens, à Domino interrogatus, cur adeò triſtis? diſerta ille & clara voce proferebat verſum Pſalm. 77. *Cogitaui dies antiquos, & æternos in mente habui,* noſtra eſt ſententia. Eadem eſt de fele maſculo, quem Stephanus Cardanus habebat in delitiis. Card. *de rer. varietat. lib. 14. c. 75.* His vltimò addimus Iohannam Virginem in Francia, & hæc ſuum habebat Magiſtellum, cuius virtute prophetabat, ac miranda alia perpetrabat, de qua peculiaria extant & circumferuntur ſcripta ſub titul. Sybilla Francica. Vid. Iohan. Nider. *in Formic. c. 8.* Sed ne longiorem conſcribamus eorum, qui *Spiritus Familiares* aluc-

luerunt, catalogum, videamus & expendamus iam nunc, quid periculi ſubſit, & quid damni impendeat, & mali atque pœnæ maneat eos Dæmonum cultores atque amicos.

Verum periculoſum quàm ſit tales *Spiritus Familiares* ſeu *Paredros* vocare & adiurare, penitius introſpicienti & altius ſecum perpendenti verba, quæ in Steganographia Iohann. Tritheimii, Abbatis Spanheimenſis, leguntur, clarè apparet. Hi Spiritus, inquit Tritheim, pernicioſiſſimi ſunt, & nequam, odio quàm maximè habent lucem, tenebras diligunt. Forti, inquit, adiuratione opus eſt, vt ad neceſſaria noſtra cogantur, quod ſi in his adiurandis territus pauxillum trepidaueris, aut in explenda adiuratione ſiue vocabuli omiſſione ſiue ſeriei immutatione aberraueris, te illicò necabunt, lacerabunt & abripient. Confirmat hoc Agrippa *in Occult. Philoſoph. lib. 3. c. 31. in fin. & lib. 4.* ſeriò inculcans iis, qui Magica affectant, vt ſint conſtantes, audaces, fortes, non timidi, non molles. Maximum, inquit, eſt in inuocatione ſpirituū, quod te ſeruare oportet, animi ſcilicet conſtan-

ſtantiam timore vacuam. Confer Dæmonolog. Potentiſſ. ac Sereniſſ. Iacob. Regis Angliæ *lib.* 1. *cap.* 5. Imò verò quàm periculoſum ſit, huiuſmodi captiuos carceri incluſos penes ſe habere, demonſtrant ſatis liquidò eorum, qui Magiam infamem coluerunt, funeſti exitus. Vix enim vnquam Paredri ſine Dominorum noxa ſolent recedere, ſed ſemper ſibi aliquod lucrum quęrunt atque obtinent. Nam ea eſt Diabolorum natura, vt integram prædam nunquam ſibi è manibus eripi patiantur, ſed delibatum ad minus quid ſupereſſe oportet, quod ipſis cedat in nauatæ operæ pretium ac mercedem, atque adeò vt cum miniſterium ſuum atque operas ſuas alicui ex pacto locant, hoc præcipuè in lege locationis cauent, vt aut certum ſit tempus, intra quod Domino alteri ſe ille attribuat, aut ſibi ius ſit in eum, quæ velit, pro libidine agere, vt refert & exemplum hoc illuſtrat Nicolaus Remigius *libro primo Dæmonolatriæ*, *capite nono.*

Et Peucerus inſuper ſcribit de Magia; Dæmones plerunque ante conſtitutum

tem-

tempus violato ac finito ſocietatis iure ſocios illos (puta Magos) vel ancipitibus, falſisue præſtigiis deceptos perdere, cum per edita mendacia eos produnt, & iudicibus vinciendos, necandosq; tradunt, vel ipſi tragico aliquo triſtiq; ſupplicio interemptos abripiunt in æternos cruciatus.

Huic accedit Iohann. Fauſtus Diaboli σκωραμὶς, hoc eſt, vas in quod Diabolus ſuum ſtercus iniiciebat, ex **Knüdtling** oppidulo oriundus, qui poſtquam multa portenta magica exercuiſſet, tandem in pago quodam inuentus fuit iuxta lectum mortuus, inuerſa facie. Confer Rudolphum Widmannum *part. vltim.* ſiccis oculis rem haud lecturus es. Vis plura? Neronis omnibus omnis turpitudinis notis inſignis Magi vitam vitęque finem preſſius examina, dilucidisque mentis oculis introſpice, nullum nullibi inuenies exemp. ex quo clarius & euidentius ediſcas, quo in ſtatu & articulo res Magorum per omnem vitam ſint poſitæ, & quo vitæ exitu teneantur. Nero antequam rebus Magicis animum adiiceret, Princeps erat, vt optimus, ita fæliciſſimus, vt

Traianus

Traianus prouerbialiter de eo dixerit: Omnes Imperatores à quinquennio Neronis longè distare. Sed Magicis studens quantum mutatus à se, quantum mutatus ab illo, de quo Troianus! Crediderimus, hominem flagitiosiorem, contaminatiorem, contemptiorem, afflictiorem, miserioremq; sub sole vixisse nunquam. Nonne à Deo derelictus, ab amicis & custodibus desertus, imò damnatus, & baculis ad mortem iam cędendus, vt ad vitandam necem adeò sæuam, ad αὐτοχειρίαν confugere, sibique ipse manus violentas inferre coactus fuerit? Vid. Sueton. *in Neronis vita.* Simili modo Maxentius Cæsar omnes Magorum nænias apprimè callens, tandem αὐτόχειρ factus est. Simon Magus à Diabolo in aerem sublatus, pręceps deiectus ceruicifragium abstulit. Iezabel Regina insignis Maga à canibus deuorata. Methotis maximus sui temporis Magus in Noruegia discerptus fuit à populo, vt scribit Olaus. Matisconensis Comes à Satana, spectante populo, exportatus. Raziorum Baro, cuius passim meminit Bodinus *in Dæmonom.* concrematus. Et alii, quorum infinitus est numerus,

merus, viui perierunt igne. Exempla obuia ſunt in auctoribus, qui hæc Magorum tractant portenta, vid. Wier. *de Præſtig. Dæm. lib.2.c.4.* Item Georg. Rud. Widm. *in Hiſt. Fauſt. part.3. c.18.* & M. Chriſtoph. Irenæum *in lib. German. cui tit.* Spiegel der Hellen. &c. in quibus vel ſexcenta ſupra modum horrenda inuenies, ex quibus diſcimus, quæ ſint Magiæ iſtius & λυκοφιλίας ſtipendia, qui ſimulatæ fructus amicitię!

Quod hodie B.F.F.S. claudat hoc caput Hieronymus Cardanus *lib. de Subtil. 18. pag. 924.* Magorum, inquiens, omnium vita eſt flagitioſa, calamitoſa, fama contaminata, exiſtimatio contempta, FINISQ; MISERRIMVS. Libro clauſo peſſulum feliciter obiiciat venerandus Dominus Agrippa, literarum literatorumq; omnium miraculum & amor bonorum; Oportet, inquiens, oportet vt impiæ illæ nugæ ſemper perniciem adferant ſuis cultoribus, quibus profectò qui maximè confidunt, maximè omnium redduntur infeliciſſimi; percurrat aliquis, ſi lubet, infidelium hominum ſeriem, & gentilium hiſtorias, videbit quid

lucrati ſint, nonne omnes peribunt in peccatis ſuis? *Epiſt. lib. 5. epiſtol. 26. & in Declamat. inuectiua, c. 48. de Præſtig.* Omnes, inquit, qui per vanitates Magicas, exorciſmos, incantationes, amatoria, agogima, & cætera opera Dęmoniaca & Idololatriæ fraudes exercent, præſtigias & phantaſmata oſtendunt, mox ceſſantia miracula ſeſe operari iactantes, omnes hi cum Ianne & Mambre & Simone Mago æternis ignibus cruciandi deſtinabuntur. Hoc vnum, hoc primum atque vltimum, *tanquam* ANIMA, huic hiſtoriæ addendum erat.

Laudetur & hic DEVS.



AD
DN. M. PHILIPPVM LVDOVICVM ELICH IVVENEM CYCLICè doctum, occultioris Philosophiæ perscrutatorem industrium; de Magia Diabolica eruditè & solidè disserentem.

PHILIPPVS LVDOVICVS AELICHIVS per Metagram.

HIC LVLLVS ÆVO: HIC PVPPIS DIVIS.

IMmensè Lullum famosum iactat Iberus,
Et colit Hermetem facundum terra Pelasga:
Ast sic de nostro mea censet Musa Philippo
(Aurea portendunt metagrammata nominis hocce)
Noster LVLLVS *adest*, HIC *famosissimus* ÆVO,
HIC PVPPIS DIVIS, *numen venerabile Lani.*

Henricus Kornmannus ex
Kirchaina Cattorum.

MAGISTER PHILIPPUS Ludouicus Oelichius, Catto-Marpurgensis, ἀναγραμματισθεὶς eliso vno aspiratorum.

HIC PVRVS AGIS! CVR TE VIRI DICANT MAGVM? PVTO ILLOS ESSE LIPPOS.

ESse quid hoc dicam; quod te dixere PHILIPPVM
Posse characteras dudū signare potentes
Intra orbem, & Magico tandem stridore cateruas
Elicere infernas, dum te cōmittis arenæ
Ante annos aliquot dubiæ spinosa Magię
GOCLENI sub præsidio, tibi sępius omnē
Hinc operam MARTINELLVM præstare loquuntur:
Illa sed excutienda typis quod lemmata rursum
Tradideris; facies bene! quo iā tutius ipsa
Euitare queas linguæ fomenta malignæ!
Non ô non Magicis illum sudare putabis
In studiis, ea quod prælo rediére polito;
Causa hæc, non causa est, quia non (me Christe) Magiæ
Dedit sese, ideo falsa est, nec fama resistit
Com-

Communis, quæ me facto confirmat in omni
Nunq̃ plus valeat stolidi sententia vulgi,
Quam veri valor haud dubius, rumoreq; vano
Non præsumendum est leuiter: Nam rectius ipsa (umbrat.
Mens in proposito iustum facientis ad-
Quin te nomen habere bonum, est res optima! palmam (esto,
Hæcce theses tibi dant; hic murus ahene⁹
Namq; HIC PVRVS AGIS! creta aut carbone notandi
CVRTE sæpè VIRI dudum liuore prærusti
Esse MAGVM DICANT? non dicam, apponere Cramben
Nolo bis coctam; ratio illis destinat omnẽ
Anticyrã atq; ILLOS sanæ rationis egẽtes
ESSE PVTO LIPPOS! non aspernare labores,
Musa dabit titulos & munera larga penates.

Ienæ raptim fecit D. 18. Maii 1606.

Iohan. Frideric. Salueldt/Darmstadinus T. ex A.



CATALOGVS AVCTORVM, QVI IN DÆMOnomagia citantur.

Iouius.
Ius ciuile.

L

Laertius.
Langius.
Lauaterus.
Laurentius Surius.
Leuinus Lemnius.
L. Baro de Lichtenberg.
Liuius.
Ludovvigus Milichius.
Lutherus.
Lycosthenes.

M.

Marcus Damascenus.
Marianus Bubo.
Martinus Delrius.
Mengus.
Methodius Martyr.
Michael Bapst.

N.

Nauclerus.
Nicephorus.
Nicolaus Iaquerius.
Nicolaus Remigius.
Nicolaus Biesius.

O.

Olaus Magnus.
Oratio Auctoris de Diabolo ipso.
Ottho Melander.
Ouidius.

P.

Paris de Puteo.
Paulus Diaconus.
Paulus Venetus.
Paulus Frisius.
Pausanias.
Pererius.
Petrus Martyr.
Petrus Binsfeldius.
Peucerus.
Philippus Lonicerus.
Platina.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Porphyrius.
Prochorus.
Proclus.
Psellus.

R

Reinhardus Lutz.

Richar-

FINIS.

ADMONERIS LECTOR

Vt ſi qua fortè ſphalmata ſub prælum irrepſiſſent, Auctori ne imputes, eaque pro eruditione tua, præſertim in verbo (Maioriſtas) vbi g pro i poni neceſſe erat, ipſemet corrigas. Vale.

FRANCOFORTI

Ex Typographeio WOLFGANGI RICHTERI, *Sumptibus verò* CONRADI NEBENII.



ANNO M. DC. VII.